DISQVISITIO DISQVISITIONIS DE MAGDALENA MASSILIENSI ADVENA.

Quod tanto impendio abſconditur, etiam ſolummodò demonſtrare, deſtruere eſt. Tertullianus aduerſus Valentianos cap. 3.

Auctore IOANNE DELAVNOY Conſtantienſi, Theologo Pariſienſi.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS.

M. DC. XLIII.

ERVDITO ET PIO LECTORI
PRÆFATIO.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

HVIVS operis, quod aggredimur, erudite Lector, longè difficilius eſt exitũ, quàm principium inuenire. In quamcumque enim paginam incidas, ſtatim occurrit, quod reprehendatur; at ſi quodcumque reprehendendum foret obſerues, reprehendendi nullus erit finis. Et certè Magdalenæ Maſſilienſis aduenæ Diſquiſitio, cui iterum diſquirendæ ac diſpungendæ curſim incumbimus, tot erroribus, nugíſque oppleta eſt, vt ad illam conſtituendam audacia, ignorantia, calumnia, & diſsimulatio cõtendiſſe videantur: Audacia in aſſertione rerum, quas auctor laudatis à ſe ſcriptoribus affingit; Ignorantia in argumento ſcriptionis & vſu quorumlibet librorum, quos ſine vllo delectu ac iudicio ſequitur, atque ita in vtroque contraria contrariis ſanare ſtudet, qui in præfatione libri Criticorum medicũ ſe eſſe profitetur: Calumnia in conuitiis, quibus immerentes viros crudeliter proſcindit; quanquam & qui de immerentibus malè meretur, ſuam quoque cum calumnia inſcitiam prodit; Diſsimulatio in prætermiſsione duarum generalium epocharum, quas vt ſecernendæ à mendacio veritatis gubernacula Diſſertationi meæ præ-

ſixi. Hæc autem omnia cùm ita ſeſe habeant, & ſola lectione probentur, ne & nos infinitorum, ſi notarentur, errorum nimis puderet, & alios importunæ lectionis aliquando tæderet, operæpretium viſum eſt, illuſtriores Gueſnæianæ Diſquiſitionis nugas & errores in aliquot capita diſtribuere, vt ex iis tanquam ex certis ſpeciminibus, quid de tota Diſquiſitione cenſendum ſit, iudicetur. Tum veterem de Lazaro, Magdalena & Martha traditionem ſuis libratam ponderibus exponam, ſicut in Diſſertatione quadam duobus abhinc annis expoſui. De Maximino nihil dicam, quòd à veteribus, & optimis auctoribus, qui ante annum Chriſti ſexcenteſimum ſcripſerunt, nihil dictum comperi. Hac autem in re vſque adeò remota, ſine Commentariis veterum ſapere hiſtorici ſapientis non eſt, nec Chriſtiani ſcriptoris, qui ſupra ceteros mortales à mendacio abhorrere debet. Editum ab homine facili Chronicum Dextri non moror, quod eruditorum hominum nemo commendat, immo vt prolem ſubiectam omnes abiiciendum procul exiſtimant. Illud iis permittimus, qui decipi Hiſpanorúmque ineptiis penè anilibus infatuari volunt. Age ergo Lector, & in Gueſnæi Diſquiſitione multò plura, quàm ſignifico, vel quàm tu ipſe putas, inuenies.

DIS-

DISQVISITIO DISQVISITIONIS DE MAGDALENA MASSILIENSI ADVENA.

CAPVT PRIMVM.

R. P. Gueſnæus imprudenter agit cum Archiepiſcopo Aquenſi, cui librum ſuum nuncupat.

DISQVISITIONEM diſquiſitionis ordior ab inſigni auctoris iſtius imprudentia, quam in ipſo ferme operis veſtibulo conſpiciendam præbet. Ea autem eſt eiuſmodi: Gueſnæus Archiepiſcopi Aquenſis laudes exequitur in epiſtola nuncupatoria, cùm ex multis, tum ex hoc quoque, quòd eum illuſtris apud Rotomagenſes familia plurimùm commendet: deinde appetente prœmij fine prouinciam, cuius caput eſt Rotomagus, ſic contumelioſè appellat: *Quanquam enim magna ſpe & prope explorata, curationis huius cauſam*

ſuſcipimus, quia cum eius gentis & genij critico agimus, cui pacta retractare, & quod dictum fuit, indictum eſſe velle perquam familiare, ac patria legibus ſtatum eſſe dicitur, ac ſolemne. O rariſſimi iudicij virum! qui vna manu ſalutem Archiepiſcopo ſuo dicit, altera colaphum impingit. quo in negotio infelici ſucceſſu prodit ſe ſocium illius, non cui dictum eſt, ſed qui dixit: *Aue Rabbi.* Nunc igitur reuocet vel laudes, quibus Archiepiſcopum ornauit, vel conuitia, quibus Archiepiſcopi gentem affecit vniuerſam. In vno parùm prudens, in altero ridiculus erit, atque à ſe obiectam aliis calumniam meritò ſuſtinebit. Verùm ſua maledico conuitiatori dicteria relinquamus, diſcat ille tantùm à Iuſtino martyre, Athenagora, & aliis, qui pro Chriſtianis apologias ediderunt, nemini nomen probro vertendum eſſe: *Iudices,* inquit Athenagoras, *non tam quid commiſerit reus aliquis noſtrûm inquirunt, quàm ipſi nomini tanquam certo ſceleri illudunt, cùm tamen nomen ipſum per ſe, & quatenus nomen eſt, bonum malúmve exiſtimandum ſit nullum, ſed tale profectò iudicandum vnumquodque, qualis res ipſa aut actio, qua de prædicatur, fuerit.*

CAPVT SECVNDVM.

Gueſnæus præſtitutum in Diſſertatione de commentitio Lazari & Maximini, Magdalenæ & Marthæ in Prouinciam appulſu ordinem diſsimulat.

HVIVS Diſſertationis, cuius admodum pauca exẽplaria Lutetiæ edita ſunt anno 1641. duas feci partes, vnam, quæ quod de Magdalena & aliis fuerat priùs traditum, complecteretur; alteram, quæ quod de iiſdem fuerat poſteriùs immiſſum, expenderet. In prima parte, quæ in annum Chriſti milleſimum déſinit, à Græcis vniuerſim & Latinis memoriæ proditum oſtendi, Lazarum, Magdalenam & Martham in Oriente obiiſſe; ſed de Maximino, qui primus Aquenſium antiſtes fuerit, nullam vnquam vel in veteribus Martyrologiis, vel Eccleſiæ ſcriptoribus factam eſſe mentionem. At vir bonus hunc ordinem, qui aſſerendæ veritati, & reuincendis fabulis aptiſſimus eſt, cùm exploratæ fidei auctoribus refellere non poſſit, aſtutè diſſimulat, omnia parergis conuoluit, multos auctores mala fide in medium adducit, falſa veris, incerta certis, & obſcura claris immiſcet; ratus ſuam Diſquiſitionem ſtare non poſſe, ſi quòd ab initio Eccleſiarum traditionibus commiſſum eſt, agnoſcatur. In hoc ſolùm habet acumen, ſi modò acumen dicendum ſit, quod in inquirendæ, retinendæque veritatis

perniciem cedit. Sed qualecunque ſit illud, facilè retunditur, cùm in tanta rerum omnium perturbatione nullum bonæ notæ ſcriptorem laudet, qui ante annum Chriſti ſexcenteſimum prodiderit, Magdalenam & alios è Iudæa in Gallias adnauigaſſe, ibíque diem clauſiſſe extremum.

At vt prudenter docet Baronius tom. 1. Annaliũ, *quod à recentiore auctore de rebus adeo antiquis ſin: alicuius vetuſtioris auctoritate profertur, contemnitur.* Lucij quidem Dextri Chronicum laudat, & magnificè iactat, ſed illud omnes viri docti repudiant, vt ab recentioribus Hiſpanis confictum. Hoc dudum in rem iudicatam abiit: vnde fit, vt quæ opinio ſola inter antiquos huius furtiui Chronici auctoritate nititur, nulla omnino nitatur. Immò qui ſubdititiis monimentis vtitur, turpiſſimam in Iudicio repulſam pati ſolet, & cauſa continuò cadit.

In ſecunda parte, quæ ſexcentorum quadraginta annorum eſt, multa comprehendi: Inprimis veterem apud Græcos de Magdalena & aliis traditionem ſemper eſſe retentam docui: Deinde, propoſitis Romanæ & aliarum Eccleſiarum Martyrologiis oſtendi, à quo tempore, non publico Eccleſiæ iudicio, ſed inerudito priuatorum quorundam ſtudio iis additum eſt, Magdalenam, Martham & Lazarum in Prouincia exceſſiſſe. Tertiò, firmiſſimam epocham Maximino defixi, nec in ipſius Aquenſis Eccleſiæ litaniis anno 1577. editis locum adhuc habuiſſe demonſtraui, atque in iis vix omitti potuiſſe, quem perpetua traditio vindicaſſet. Quartò, multiplex de Magdalena & Lazaro figmentum expoſui, & ſola recitatione

ſuſtuli. Quintò, proſam Lazari in diuinis quarundam Galliæ Eccleſiarum officiis cantari hodiéque ſolitam obieci, quæ eundem in Cypro vita functum teſtatur. Sextò, ortum & progreſſionem fabuloſæ narrationis, quæ de Magdalenæ & aliorum in Gallias appulſu circumfertur, indicaui, & quæ de hoc appulſu præcipua in pluribus breuiariis & manuſcriptis codicibus leguntur, omnia ex Actis Magdalenæ & Marthæ deriuari probaui. Porrò hæc Acta Vincentius Bellouacenſis in Speculum Hiſtoriale coniecit, vbi libro 10. cap. 107. ex auctore ſuo configuntur: *Marcella poſt exceſſum beatæ Marthæ* (cuius erat pediſſequa) *decem annis ſuperuixit, cuius vitam non paruo volumine Hebraicè conſcripſit, quā ego Synthex multa prætermittens Latinè tranſcripſi. Euchodius autem, Germanus, Parmenas, & Soſthenes beatæ Marthæ comites & alumni, quoad vixerunt, ad ſacratiſſimam eius ſepulturam peruigilantes ibidem beato fine quieuerunt.* Sic hæc Acta non priùs ad originem ſuam cenſentur, quàm commentitia nemo cordatus non agnoſcat. Et tamen ex illorum Actorum codice tanquam ex ingēti quodam prōptuario ſumpta ſunt, quæ apud Auctores Vincentio poſteriores cumulatè reperiūtur. Septimò, docui montem illum, cui nomen eſt Bauma, ſeu Balma, vocatum nondum eſſe ſanctum, quo tempore Ionuillæus hiſtoriam beati Ludouici ſcripſit: *Rex,* inquit cap. 80. *viſitatum iit locum nomine Baumam, vbi, vt dicebatur, tanquam in eremo multos annos traduxerat Magdalena* Sic mendax fama incœpit, & poſtea veritatis ſedem occupauit, cùm inuenerunt, quod inuenire voluerunt, & quo-

modo inuenire voluerunt. Octauò, plures Pontifices adduxi, qui ante inſtitutum fratrum Prædicatorum Ordinem ſcripſerunt, *Mariæ Magdalenæ corpus in Monaſterio Vizeliaci quieſcere, coli & miraculis illuſtrari.* Vnde ſub Innocentio III. *Mariæ Magdalenæ monaſterium* dictum eſt. Hoc inſuper ex Dominicanis auctoribus Vincentio Bellouacenſi, & Iacobo Genuenſi confirmaui, quibus adieci totius Ordinis Breuiarium, quod anno 1254. confectum eſt, hodiéque Lutetiæ aſſeruatur in Bibliotheca Conuentus ſancti Iacobi, vbi ſic habetur in feſto Magdalenæ: *Tranſlatum eſt corpus Mariæ Magdalenæ de loco prædicto* (Aquenſi vrbe) *ad monaſterium, quod dicitur Virziliacum; anno paßionis Domini* 749. Hæc ſexta lectio, quæ quanquam fabuloſa, ſufficit tamen, vt Dominicanis Sammaximienſibus ora obſtruantur, immo vt & alia dicantur, quæ facilè cuiquam venire in mentem poſſunt. Poſtremò, contentiones, quæ de reliquiis Magdalenæ inter Vizeliaci monachos, & ſancti Maximini Prædicatores exortæ ſunt, in medium adduxi, atque ita diſcuſſi, vt promptum monachis fuerit, vnica Sammaximienſes exceptione refellere, NI MONASTERIVM NOSTRVM IN POSSESSIONE MAGDALENÆ SVÆ SIT, ET FVERIT AB ALIQVOT SÆCVLIS ATQVE ADEO POSSEDERIT PRO SVA, ILLO IPSO TEMPORE, QVO AB ADVERSARIIS TVRBARI POSSESSIO COEPTA, ET NI NVNC ADHVC POSSIDEBAT, QVANDO HANC LITEM NOBISCVM FVERVNT CONTESTATI.

At Gueſnæus noſter iſta propemodum omnia, quæ ſingulatim expenſa ſunt in Diſſertatione, furtim præterit. Quinetiam omni excuſſo pudore, Magdalenæ nauigationem, in Prouinciam appulſum, Euangelij prædicationem, & alia deſcribit, quæ in recenſitis apud Vincentium Actis fusè narrantur, quæque canone 93. Codicis Africani, & capite 42. libri primi Capitularium Caroli Magni prædamnantur. Nonnulla tantùm ſilet, quæ ſibi fabuloſiora videntur, & quibus cetera ab eruditis hominibus configuntur: quippe quæ non habeant, vnde ante annum Chriſti ſexcenteſimum ſuſtenentur. Sed quod omninò notandum eſt, non plura de Magdalenæ cataplo recenſuit, aut probauit, quàm recenſeri, probarive poſſe monui. Nullum enim probum auctorem profert, qui ante memoratum Chriſti annum ſexcenteſimũ vixerit, & vnà ſcripſerit, Magdalenam & alios è Iudæa in Prouinciam nauigando tranſiiſſe: nullum vetus inſtrumentum quamlibet incertum, & variis aſſumentis deprauatum ex tabulariis Prouinciæ eruit, quod ante idem tempus confectum huic nauigationi fidem vllam præſtet. Quapropter hac in quæſtione veriſſimum eſſe conſtat, quod Baronius anno 604. ſapienter aſſeruit, *accidere interdum ſolere, vt aliquid vulgò allatum, ſi quis certos velit examinare teſtes, an verum ſit, neminem id ſeriò teſtantem inueniat, fiátque, vt quod ab omnibus dici iactatur, aſſeratur à nemine, rumórque ille euaneſcat in auras.*

CAPVT TERTIVM.

Gueſnæus Sapientiam, Eccleſiaſticum, Tobiam, Iudith, & Machabæorum libros ab Eccleſiæ Romanæ canone expungit.

VT argumentum iſtud, quod grauiſſimum eſt, planum fiat committenda ſunt, quæ homo minimè malus ſcribit pagina 217. cum iis, quæ Concilium Tridentinum de ſcripturis Canonicis decernit. Videamus igitur egregiam hominis orationem: *Scriptura*, inquit, *ſeu libri de rebus Eccleſiaſticis tractantes in tria genera diſtinguuntur: primi enim generis libri ſunt, qui Canonici cenſentur, ſecũdi generis Hagiographi, tertij verò Apocryphi. Canonici libri dicuntur, omnes ſcripturæ quas recipit Eccleſia, vt publicè legantur. In ædificationem fidelium, & ex quibus ſumatur efficax argumentum ad probandum ea, quæ fidei ſunt, & ad fidem pertinent, quibúſque vti debemus, ad hæreſes, earúmque auctores confutandos.* & poſt alia: *Hagiographi dicuntur ij, quos eadem Eccleſia probauit, vt publicè legerentur ad ædificationem fidelium, non tamen haberent canonicam auctoritatem ad probanda ea, quæ ad fidem pertinent, irrefragabili approbatione.* & poſt alia: *Sed & Rufinus in expoſitione ſymboli adhæc ſcribit de his Hagiographis ſcripturis: Quæ omnia legi quidem in Eccleſiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam.* Hæc Gueſnæus noſter aduerſarius, qui vt

fidem mentémque ſuam nonnihil tegeret, Rufini verba ſubdolè truncauit, nos integra repræſentamus, vt quod venenum ad perniciem aliorum cautè occultatum eſt, nunc detectum, & omnibus expoſitum neminem lædat: *Et ideo*, inquit Rufinus, *quæ ſunt noui ac veteris inſtrumenti volumina, quæ ſecundum maiorum traditionem per ipſum Spiritum ſanctum inſpirata creduntur.* & poſt alia: *Hæc ſunt, quæ Patres intra canonem concluſerunt, ex quibus fidei noſtræ aſſertiones conſtare voluerunt. Sciendum tamen eſt, quod alij libri ſunt, qui non Canonici, ſed Eccleſiaſtici à maioribus appellati ſunt, vt eſt Sapientia Salomonis, & alia Sapientia, quæ dicitur filij Syrach, qui liber apud Latinos hoc ipſo generali vocabulo Eccleſiaſticus appellatur. Eiuſdem ordinis eſt libellus Tobiæ & Iudith, & Machabæorum libri. In nouo verò teſtamento libellus, qui dicitur Paſtoris, ſiue Hermatis, qui appellatur Dux viæ vel Iudicium Petri, quæ omnia legi quidem in Eccleſiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam. Ceteras verò ſcripturas apocryphas nominarunt, quas in Eccleſiis legi noluerunt.* Hæc ſunt Rufini verba, quæ Gueſnæus probando ſua fecit, vt ex iis contra nos diſputaret. Sed iis opponimus tandem hoc Concilij Tridentini de ſcripturis Canonicis decretum. *Sacrorum verò librorum indicem huic decreto adſcribendum cenſuit, ne cui dubitatio ſuboriri poßit, quinam ſint, qui ab ipſa ſynodo ſuſcipiuntur. Sunt verò infrà ſcripti Teſtamenti veteris quinque Moyſi, i. Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Ioſue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Eſdræ primus, &*

ſecundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Heſter, Iob, Pſalterium Dauidicum centum quinquaginta Pſalmorum, Parabolæ, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Iſaias, Hieremias. & poſt alia: *Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueuerunt & in veteri vulgata latina editione habentur, pro ſacris & canonicis non ſuſceperit, & traditiones prædictas ſciens & prudens contempſerit, anathema ſit.*

Quam hoc loco culpam arguimus, eiuſmodi eſt, vt dicendo augeri nec poſtulet, nec fortè poſſit. Res ipſa argumentatione eleuaretur. Abſit verò abſit, vt virum tam inſigniter errantem imitemur, qui mirum quantum acerbitatis ſuæ virus in nos euomeret, ſi libris Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Tobiæ, Iudith & Machabæorum canonicam auctoritatem detraheremus, ſi hos libros non pluris, quàm paſtoris libellum haberemus. Viderint autem, qui librum ſuis calculis probarunt, quò ſe recipient. Nos hîc vnum dicimus: Vir ille bonus vel id reuocabit, quod de illis libris ex Rufino contra Tridentinum Concilium ſcripſit, vel obſtinato pertinacíque animo defendet; ſi primum eligat, & Romanæ & Normanæ communionis erit, & ſuis ipſe ſcommatibus illudetur; ſi ſecundum, neutrius: conſideret autem quæ ſua futura ſit communio. Cetera ad cenſores Romanos remitto.

CAPVT QVARTVM.

Mirifica in Gueſnæo ratiocinandi facultas.

QVÆ ratiocinationum exempla ſubiicimus, capitis argumentum belliſſimè probabunt. Aduerſarius noſter, vbi nonnullis capitibus vulgarem de Maſſilienſi Magdalena opinionem expoſuit, tum ſeſe ad diſputandum comparat cap. 12. cuius lemma eſt: *Loci ac ſedes argumentorum ad faciendam fidem de rebus Magdalenæ hactenus expoſitis.* Deinde ſic diſputat cap. 13. cuius hic inſignis eſt titulus: *Primus locus: Ratio ducta ex teſtimoniis Scripturæ, ſiue diſcurſus Theologicus,* qui num. 3. & ſequentibus talis habetur: *Vnum igitur hoc ſumo, (quod mihi apertum ſcripturæ teſtimonium, réſque manifeſta dat) tempore Apoſtolorum perueniſſe ad omnes prædicationem Euangelij Matthæi 24. & prædicabitur hoc Euangelium in vniuerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio.* In hunc porro locum citat multos ſcripturæ Interpretes, Euſebium, Hilarium, Chryſoſtomum, Ambroſium, Theophylactum, Anſelmum & Salmeronem, qui ſolus cum honoris præfatione nominatur. & poſt alia:

Secundò confirmari poteſt ex verbis Apoſtoli, qui in Epiſtola ad Romanos ſcribit: ſed nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. & poſt alia:

Tertiò Coloſſenſibus ſcribens affirmat, verbum

veritatis Euangelij perueniſſe ad eos, ſicut & in vniuerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit, ſicut in vobis ex ea die, qua audiſtis & cognouiſtis gratiam Dei in veritate: quæ verba apertè declarant, tempore Pauli Apoſtoli prædicationem Euangelicam, ad omnes nationes tunc notas perueniſſe. & poſt alia:

Quartò in Actis dicit Chriſtus Apoſtolis: Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ, quod de perſonis Apoſtolorum potiſſimum, non de ſucceſſoribus intelligendum videtur, ſicut & illud, Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. & poſt alia:

Denique mirificè congruere ac cohærere cum diuina prouidentia dicitur, quod Auguſtinus ſapienter animaduertit contra Donatiſtas, vt Eccleſia inſtitueretur Catholica, & non perſonarum modò, ſed etiam locorum ac regionum amplitudine vniuerſalis.

At ſecundum iſta omnia, quæ antecedentis locum habent, ita Gueſnæus num. 14. concludit: *Quibus omnibus ex locis & auctoribus ſatis confirmatur ſententia de Magdalenæ aduentu in Gallias & Maſſiliam appulſu.* Spectatum admiſſi riſum teneatis: Nos contrà ſi ſubtiliſſimi viri dialecticam ſequamur, cur non æquè ex illis ſcripturæ locis colligemus: Igitur Magdalena perrexit Epheſum, aut in Meſopotamiam, Arabiámve conceſſit Euangelium nuntiatura: vel; Petrus aut Ioannes Maſſiliam appulit, ibique pluribus exantlatis in Euangelij prædicatione laboribus obdormiuit. In ſumma ex generalibus illis ſcripturæ teſtimoniis Apoſtolorum quemlibet

quem volueris in locum ablegabis.

Sunt & alia hoc in capite momenta, quæ grauiſſimus Auctor perurget, ſed ne me κρύψεως inſimulet, ſic exhibenda duco:

Noluit Deus tam illuſtrem honore, ac nomine prouinciam, & ciuitates diuturnis errorum tenebris & caligine occultare depreſſas, dum finitimæ regiones ſuſciperentur in lucem. Vnde concludit: *Igitur Magdalena cum aliis è Iudæa in Prouinciam adnauigauit.*

Deinde fuit ſemper Romanos inter & Maſſilienſes fideliſſima ſocietas, ex quo penè contrahendarum rerum vſus eſſe cœpit inter gentes. Itaque Magdalena Maſſilienſibus euangelium prædicauit. quidni & Deipara ex tali antecedente? Fortaſſis, quia Romana non erat, Magdalena verò Romana, eáque re ad Romanorum & Maſſilienſium ſocietatem pertinuit.

Poſtremò hoc amentatum telum coniicit: *Maſſiliæ ſtudia Græcarum literarum vigebant, & apud Manutium in prouerbio eſt: Maſſiliam nauiges.* quid inde? *Igitur Magdalena, Lazarus, Maximinus & Martha in portum Maſſilienſem penetrarunt, vt euangelicæ prædicationi per totam ferè prouinciam vacarent.* Profectò qui Theologus ſic diſputat, Maſſilia nauiget Anticyras neceſſe eſt, ibíque tribus medicamẽtis valetudinem ſuam curet.

Hactenus ex c. 13. nunc ex c. 14. cuius hæc eſt inſcriptio: *Alter locus: Traditio Eccleſiaſtica in forma præcepti:* Sic autem ex hoc Apoſtoli loco argumentatur: *Tenete traditiones*, inquit, *quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram. Si traditio preſſè & anguſtè definiatur, doctrinam*

ſignificat non ſcriptam, ſed voce traditam, & per temporum ſucceſſiones memoria retentam. & poſt alia: *Traditio*, inquit, *generatim tribuitur in diuinam & Eccleſiaſticam: diuina eſt, quæ originem habet à veritate Dei docentis per ſe, vel per creaturam. Eccleſiaſtica eſt conſuetudo quædam antiqua, vel ab epiſcopis vel à populo inchoata*; ex quibus paulò pòſt ita concludit: *Ex his iam ad inſtitutum noſtrum duo, quæ vera ſunt, pro veris probamus: primum eſt de Magdalenæ aduentu cum Lazaro, Martha & Maximino in Gallias veterem haberi traditionem, vt teſtatur Baronius in notis ad Martyrologium 22. Iulij. Alterum, vim quandam obtinere præcepti, quod colligitur ex Breuiario, cuius editionem probauit Pius V. & alij quidam Pontifices.* Sic animosè differit bonus ille vir, nî meliùs dicamus, ſic Eccleſiaſticam traditionem populatur, ſic Pontifices irridet, qui cùm in dies Breuiaria corrigant, nondum extremam illis additam eſſe manum docent. Nónne quotidie videmus publicis inditum theſibus, neque idolis thus adoleuiſſe Marcellinum, neque Conſtantinum Romæ fuiſſe tinctum, quanquam aliter Breuiaria repræſentant? Nónne poſt Bullam Gregorij XIII. Romano Martyrologio additam ſublatum eſt, quod 24. Ianuarij de Synoride martyre habebatur? Nónne Baronij annotatio in hunc locum expuncta eſt? Gueſnæus legat Romani Martyrologij editiones, quæ annum 1587. ſequuntur, & videat, vtrum hæc in eo reperiantur, quæ anno prædicto in eodem ſic reperiuntur, ad 24. Ianuarij: *Antiochiæ ſanctæ Synoridis martyris.* Baronij annotatio: *De ea ſcribit ſanctus Ioannes*

Chryſoſtomus homilia 4. de Lazaro, de alia iuniori nobilitate & pietate clara fœmina Synoride ſanctus Hieronymus in epiſtola ad Demetriadem. Verùm ex nomine appellatiuo hîc factum erat proprium, & ex proprio Synoris virgo & martyr. quod errati genus ex ipſomet Chryſoſtomi loco deprehenſum eſt: apud quem idem valet τῶν ἁγίων μαρτύρων ξυνωρὶς, atque apud Theodoretum in epiſtola 113. θεία ξυνωρὶς τῶν ἀποστόλων. vel in Pſalmi 28. commentariis, ξυνωρὶς τῶν ἀποστόλων, vbi filios tonitrui bigam apoſtolorum appellat.

De eo autem, quod Baronius in notis ad 22. Iulij de Magdalena ſcribit, monet ipſe ſeruandam eſſe Pauli Apoſtoli regulam, *vt cuncta probans, quod bonum eſt, teneas*; adeo non acta Magdalenæ credenda iuſſit, vt præcipuam adhibuerit cautionem, nequis ea temerè, ac ſine iudicio ſuſciperet. Nos verò dicimus, & in hac Diſquiſitione probamus ea, quæ Baronius laudat, ex nouitia traditione pendere, ſi tamen quæ talia ſunt, traditionis nomen merentur, & tandem ad ſubdititia Magdalenæ & Marthæ geſta referri, nec vlla antiquitate fabulas præuertente fulciri.

Ceterum aliud eſt, Pontifices Breuiariorum editionem ratam habere, quæ quorundam hominum curâ comparatur, aliud definire, ea omnia, quæ his in breuiariis leguntur, hiſtoricæ veritati penitus conſentire. At iſta duo, quæ toto cælo differunt, aduerſarius noſter pro ſui iudicij acrimonia confundit, & quicquid Pontifices auctoritatis habent in examinandis eiuſmodi libris, ſummum in diſcrimen adducit. Neque verò cum Pontificibus agendum ita mihi videtur, qui cen-

tum abhinc annos omni ope atque diligentia tentarunt, vt Eccleſiaſtici officij codices identidem emendarentur, nihílque in iis, quod verum non eſſet, retineretur. Scilicet optimis paſtoribus de re benè geſta gratulandum eſt, ſperandúmque, cetera quorum falſitas in dies exploratur, ſublatum iri. Vno verbo quod opus maiores felici ſucceſſu incœperunt, poſteri ad colophonem aliquando perducent. Et certè quàm puri & illimes eſſe debent ſacrorum libri, iampridem docuit nos Vrbanus octauus, qui in Hymnis non alienos modò & diſcrepantes ſenſus, ſed vel ipſius proſodiæ vitia eruditiſſimè correxit.

CAPVT QVINTVM.

Mala Gueſnæi in citandis auctoribus fides.

HOC loco malæ fidei ſyllabum dabimus, quem ex variis Gueſnæianæ Diſquiſitionis capitibus excerpemus.

Imprimis mala fide agit, cùm pagina 35. Innocentij Papæ verba producit in epiſtola ad Decentium: *Quod nullus Apoſtolorum in Hiſpania vel Gallia populum gentilem docuerit, ſed illi tantùm, quos in eas regiones miſiſſet Petrus Apoſtolus.* At diſiunctiuam particulam ſuſtulit, quæ alium omnino ſenſum efficit. Sic autem ſcribit Innocentius: *Cùm manifeſtum ſit, in omnem Italiam,* &c. *nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerint ſacerdotes.*

Se-

Secundò mala fide agit, dum pagina 50. ſic nugatur: *De Creſcente conſtat ex Euſebio ac Nicephoro miſſum à Paulo Apoſtolatum accepiſſe in Gallias, ac Viennenſem & Moguntinam Eccleſias erexiſſe.* At neque Euſebius, neque Nicephorus Viennenſis & Moguntinæ Eccleſiarum meminerunt, quas Creſcens gubernarit. Deinde corruptus eſt Euſebij locus, tum quia ſecundam ad Timotheum epiſtolam citat, vbi non Galliarum, ſed Galatiæ nomen habetur: tum quia apud Euſebium Rufini, qui ab Hilduino laudatur, Creſcens ad Galatas profectus eſt. Poſtremò Galliarum vocabulo, ſi adeſſet, ſola Galatia Aſiæ regio intelligeretur.

Tertiò mala fide agit, cùm pagina 83. ex Cæſarij Arelatenſis teſtamento, quod ait per modum epiſtolæ conſcriptum eſſe, hæc adducit: *monaſterio* (cui Cæſariam ſororem præfecit) *contulimus agellum Syluanum, in quo ſita eſt Eccleſia ſanctæ Mariæ de Ratis*: hoc eſt, vt Gueſnæus interpretatur, *à rate ſeu naui, qua delecti è Iudæa viri vecti vnà cum Maximino & Magdalena Maſſiliam penetrarunt.* ô egregiam interpretationem! ſed vnde habet, hanc baſilicam eſſe potiùs Mariæ Magdalenæ, quàm Mariæ Iacobi, Salomes, vel Marthæ, quas vno vectas cataſcopio in Prouinciam appuliſſe ſcribit? & ſanè in antiquis aut recentibus monimentis, vt ſolo ſanctæ Mariæ nomine non alia Maria, quàm Deipara intelligitur, ſic & per Eccleſiam ſanctæ Mariæ non alia, quàm Deiparæ Eccleſia nuncupatur. Deinde Gueſnæus mentitur, cùm illam Cæſarij epiſtolam anno 502. ſcriptam eſſe docet in breuiario Diſquiſitionis ſuæ.

Hæc enim epiſtola die, conſule, Cæſarij & teſtium ſubſcriptione caret in Chronico Lirinenſi, vbi primùm edita eſt. Tum à fide abhorret, epiſtolam, quæ vim teſtamenti habet, anno 502. ſcripſiſſe Cæſarium, qui anno 535. adhuc degens in humanis ab Agapeto Papa literas accipit, quique apud Baronium anno 544. moritur. Præterea illo anno 502. nondum erat Epiſcopus, ſi, vt tradit Baronius, anno 544. vita defungitur, cùm quadraginta tantùm annos in epiſcopatu vixiſſe ſcribunt Meſſianus Preſbyter & Stephanus Diaconus, qui alteram vitæ Cæſarij partem ediderunt. Hinc monaſterium, cui agellum legat, nondum erat conditum: ſiquidem eo tantùm exceſſit anno, qui ab illius fundatione triceſimus fuit. *Erant*, inquiunt vitæ auctores, *conſtitutionis monaſterij ipſius eo tempore anni pleni triginta*. Poſtremò multa hanc epiſtolam dubiæ fidei eſſe ac ſuſpectæ produnt, ſed ea nunc perſequi neceſſe non eſt. Ceterum aduerſarius noſter non multùm diſcrepat ab illo Athenienſi, qui naues omnes ad Piræum venientes, ſuas eſſe venditabat. Quæ ſola fortè cauſa eſſe poteſt, cur malæ fidei crimen ſine crimine incurrat.

Quartò mala fide agit, cùm pagina 85. pro Maſſilienſi Magdalena Sigebertum adducit. Huius enim Gemblacenſe exemplar, quod Miræus edidit, de aduentu Magdalenæ in Gallias nihil tradit. Notaueram iſtud in Diſſertatione mea, ſed homo malæ fidei diſſimulat, vt incautum lectorem in fraudem inducat.

Quintò mala fide agit, cùm ibidem Sigeberti ſui, id eſt, interpolati locum referendo integrum

non refert. Nempe hæc prætermittit verba: *quanquam aliqui ſcribant, quòd hoc* (Magdalenæ corpus) *apud Epheſum quieſcat, nullum ſuper ſe tegmen habens.* Interpolator Sigeberti falſum verò immiſcuit, ſed qui nunc interpolatoris fraude vtitur, verum ſuſtulit, vt falſum retineret, & aliis ſui ſimilibus deglutiendum propinaret.

Sextò mala fide agit, cùm ibidem quoque de Hegeſippo ſic ſcribit: *Hegeſippus Apoſtolicorū temporum vicinus planè & apertè loquitur de Magdalenæ in portum Maſſilienſem ex longa nauigatione appulſu.* At Hegeſippi iſtius hiſtoriam, cuius meminit Hieronymus, deperditam eſſe eruditorum hominum nemo neſcit: perpaucis tantùm eius fragmentis perfruimur, quæ ab Euſebio recitantur, vt ait Baronius ad annum 167. Gueſnæus noſter citat quidem Philippum Bergomenſem recentiſſimum Scriptorem, qui & Hegeſippo impoſuit, & fabuloſis narrationibus ſua Chronica paſſim adſperſit. Quinetiam Bergomenſis auctoritate ruit, quicquid ille de Magdalenæ inuentione apud Sammaximinum ſtabiliuit. Hæc enim ex vulgi nugis ſcribit lib. 8. Chronicorum, poſt illa verba, quæ à viro bono citantur: *illius autem corpus apud Maſſiliam Galliarum vrbem nunc vſque conditum habetur.* Hîc ad malæ fidei ſpecimen accedit, quòd non habeat librorum delectum, quo tamen honeſti viri delectantur: Hegeſippus verò, qui in Bibliotheca Patrum editus eſt, de Magdalena nihil ſimile tradit, nec præterea is eſt, qui ad annum 167. ſcripſit, niſi illum eſſe miſerrimè deprauatum concedas.

Septimò mala fide agit, cùm pagina 86. Ama-

larium ſcribentem inducit, *Lazarum appuliſſe Maſſiliam cum Magdalena, ibíque primum ordinatum fuiſſe epiſcopum.* At in Amalarij libris nihil eiuſmodi legitur. Neque quem ſceleris ſocium laudat Eiſingrenium alios habuit, quàm nos habemus Amalarij libros. Taceo, quòd Amalarium vocet Eccleſiæ Romanæ Cardinalem. quo nihil ineptius.

Octauò mala fide agit, cùm pagina 86. & 87. Michaëlem Glycam citat, quaſi tertia Annalium parte ſcripſerit, Magdalenam ad Prouinciam aliquando appuliſſe. At hoc tam eſt falſum, quàm quod falſiſſimum.

Nonò mala fide agit, cùm pagina 89. de Mariano Scoto ſic ſcribit: *Conſule Marianum Scotum in Chronico, quem penè in omnibus ſecutus, non interpretatus videtur idem, qui ſuprà Vualterus.* Mandato viri boni paruimus: hoc eſt, Marianum conſuluimus in Chronico, ſed de Magdalena ne vnum quidem verbum feciſſe comperimus.

Decimò mala fide agit, cùm pagina 90. ſic nugatur: *Odo Treuirenſis Epiſcopus in vetere Martyrologio, quod inſcribitur: ad vſum Romanæ Eccleſiæ; quarto Calendas Auguſti. eodem die feſtum ſanctæ Marthæ virginis ſororis ſanctæ Mariæ Magdalenæ & ſancti Lazari, & hoſpitæ ſaluatoris Chriſti, quæ iuxta Rhodanum & vrbem Auenionem obiit. Rurſum ſextodecimo Calendas Ianuarij, Marſiliæ beati Lazari, quem Dominus ſuſcitauit à mortuis.* At nihil tale habetur in Adonis Viennenſis Martyrologio, quod Roſuueidus iuris publici fecit, quódque nonnulli non Odoni, ſed Adoni Tre-

uitenſi perperam tribuerunt. Porro duobus in locis Ado de Magdalena ſic loquitur, & primò quidem in Martyrologio 22. Iulij: *Natalis ſanctæ Mariæ Magdalenæ.* Deinde in libello de feſtiuitatibus Apoſtolorum: *Natalis ſanctæ Mariæ Magdalenæ, de qua, vt Euangelium refert, ſeptem dæmonia eiecit Dominus, quæ etiam inter alia dona inſignia Chriſtum à mortuis reſurgentem prima videre meruit.*

De Martha verò & Lazaro hæc tradit ad 17. Decembris: *Item beati Lazari, quem Dominus Ieſus in Euangelio legitur reſuſcitaſſe à mortuis. Item beatæ Marthæ ſororis eius, quorum venerabilem memoriam extructa Eccleſia non longè à Bethania, vbi è vicino domus eorum fuit, conſeruat.* Hæc cùm ita ſint, potuit-ne Ado grauiori impoſtura dehoneſtari, quàm vt in tot mendaciorum teſtem vocaretur?

Vndecimò mala fide agit, cùm pagina 227. affirmat, *neminem veterum hactenus repertum eſſe, qui ante Cedrenum & Zonaram de reliquiis ac ſepultura Magdalenæ ſcripſerit.* At hoc loco non ſolùm mala fide agit, ſed etiam audaciſſimè mentitur, cùm Modeſtus Hieroſolymorum Epiſcopus, Gregorius Turonenſis, & alij, quos capite nono referemus, apertè teſtentur, Epheſi Magdalenam eſſe ſepultam. Præterea ſibi turpiſſimè contradicit, qui productum à nobis Modeſtum cùm aptè redarguere non potuerit, pagina 25. & 222. immaniter concerpſit, aut certè arbitratus eſt, Modeſtum Cedreno & Zonara poſteriorem eſſe. Sed vt ſic antilogiam vitet, in ſtuporem incidit.

Duodecimò mala fide agit, cùm eadem pagina

dicit, *Conſtantiuum Manaſſem Magdalenæ Maſſilienſi aduenæ teſtimonium reddere* : quo nihil eſt falſius.

Decimotertiò mala fide agit, cùm pagina 235. ſcribit, *de aduentu Magdalenæ in Gallias pleroſque veteres ſiluiſſe, auctores valde bonos*, inter quos numerat Gregorium Turonenſem. At profectò Gregorius Magdalenam Epheſi quieſcere prodidit lib.1. de miraculis cap.30.

Decimoquartò mala fide agit, cùm pagina 240. dicit, Sigebertum *ducem eſſe eorum, qui iactant Magdalenæ reliquias Sammaximino Vizeliacum aſportatas fuiſſe*. At iam obſeruauimus, de hac re tota in veris Sigeberti exemplaribus nihil haberi.

Decimoquintò mala fide agit, cùm pagina 275. negat Innocentium III. de tranſlatione Magdalenæ Vizeliacenſis aliquid ſcripſiſſe. De ea ſiquidem ſcribit lib.1. epiſtola ad Gerardum Abbatem Vizeliacenſem: *Liceat*, inquit, *ſicut à benignitate ſedis Apoſtolicæ inſtantiùs poſtulaſtis, vt tam in ſolemnitate, quàm in tranſlatione beatæ Mariæ Magdalenæ infra quadrageſimam annis ſingulis celebratis*. Porro egregiè verſatum ſe in operibus Innocentij III. præſtat bonus ille, cùm id inter epiſtolas à Boſqueto editas deſiderari nugatur, quaſi nullæ aliæ forent Innocentij III. epiſtolæ, quàm quas vir clariſſimus in lucem nuper emiſit.

Permulta id genus alia prætereo, & inter alia Diſquiſitionis Breuiarium quod operis frontem occupat, ſed contrà ac in Olympiacis præſcriptum eſt: ἀρχομένου ἔργου, πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές. Nam in hoc Breuiario bonæ nihil fidei,

malæ plena ferme omnia inueniuntur. Quæ in commentitiis Magdalenæ & Marthæ geſtis apud Vincentium narrantur, ea per prima Eccleſiæ ſæcula diſtribuit; deinde in confirmationem eos adducit, vel qui primis illis temporibus non vixerunt, vel ſi qui vixerunt, nihil de talibus geſtis poſteritati conſignarunt, vel qui ab anno Chriſti milleſimo extiterunt, & quicquid fabularum ſub nomine Marcellæ inuectum eſt, continuò in ſe receperunt. Exempli gratia: in primo ſæculo ad annum Chriſti 44. Magdalenam in oras Prouinciæ maritimas appuliſſe dicit, probátque ex epiſtola Cæſarij, de qua pluribus antè actum eſt. Deinde ædem ſancti Victoris Maſſilienſis ex appulſu Lazari initium habuiſſe aſſerit, laudátque bullam Benedicti noni, anno 1040. datam, in qua de appulſu Lazari ne gry quidem. Immo vt ſanctorum Innocentium & aliorum martyrum, ita & Lazari reliquiarum mentio fit, quæ fortaſſis ex Oriente in Prouinciam aduectæ multis de appulſu & epiſcopatu Lazari fabulandi cauſam dederunt. Tum in quinto ſæculo, *votum Clodouei regis Francorum ad aram ſanctæ Marthæ Taraſconenſis, eiúſque reliquias nuncupatum* tradit, atque ex Guaguino & Baronio confirmat, qui poſt Clodoueum annos pluſquam mille vixerunt. Præterea Guaguino fœdiſſimè imponit, qui ea de re nihil habet, & Baronio fucum facit, qui de voto nihil quoque ſcribit, ſed tantùm ait, *in Actis, quæ ſub nomine Marcellæ pediſſequæ extant, Clodoueum ad Marthæ ſepulchrum fuiſſe ſanatum*. Ex his igitur & aliis, quæ Herculem Augiæ ſtabuli victorem fatigarent, apparet, Gueſnæum operi ſuo

frontem non rerum veritate illuſtrem, ſed falſarum lucubrationum fuligine obſcuram poſuiſſe: verùm enimuerò ſecundum iſta, quæ hoc capite executus ſum, hominis arrogantiam, & huius, qua præfationem orditur, orationis vanitatem quis non ſtupeat, aut deploret? *Hîc*, inquit, *mihi conſilium, morbos animi criticorum, ignorantiam, & ſpiritum ſingularitatis, quantum ad præſentem controuerſiam ſpectat, cum ſtudio perſequi, & quæ ſanare poterunt, quacunque ratione ſanare*, & cetera, quibus ſe tanquam miſſum è cælo medicum venditat, & de plauſtro loquitur aduerſus eos, qui ex decreto Conciliorum, emaculandis Sanctorum Actis pro viribus incumbunt.

CAPVT SEXTVM.

Romano Martyrologio Baronij Gueſnæus illudit.

HOc Martyrologium, quia 22. & 29. Iulij & 17. Decembris cauſæ ſuæ fauet, pagina 62. 63. & 64. ſic laudat vir bonus, quaſi fidem propemodum diuinam faceret: At eidem manifeſtiſſimè contradicit pagina 57. dum miſſum à Petro Toloſam Saturninum, & Turones Gatianum affirmat. Sic enim de Saturnino Martyrologium habet 29. Nouembris: *Toloſæ ſancti Saturnini Epiſcopi, qui temporibus Decij in Capitolio eiuſdem vrbis à paganis tentus*, &c. Sic quoque de Gatiano 18. Decembris: *Turonis ſancti Gatiani Epiſcopi, qui à ſancto Fabiano Epiſcopo ordinatus*, &c.

Deinde cum eodem Martyrologio pugnat pagina 125.126.127. & 128. dum factam in Prouincia beatarum Mariæ Iacobi & Salomæ inuentionem deſcribit, & has inſuper inſcriptiones nobis obtrudit. *Hîc iacet ſancta Maria Iacobi, hîc iacet ſancta Maria Salome.* Hæ ſunt mulieres, quæ Magdalenæ comites in Maſſilienſi expeditione ſeſe adiunxerunt, ſedémque in Prouincia ac ſepulturas ſibi delegerunt, vt in Breuiario Diſquiſitionis ſuæ fabulatur. Sed contrà Romanum Martyrologium hæc docet de Maria Iacobi ad 25. Maij: *Verulis in Hernicis tranſlatio ſanctæ Mariæ Iacobi, cuius ſacrum corpus plurimis miraculis illuſtratur.* Hæc quoque de Maria Salome 22. Octobris: *Hieroſolymis ſanctæ Mariæ Solomæ, quæ in Euangelio legitur circa Domini ſepulturã ſollicita.* Quid quæſo hoc homine fiet, qui audet alios erroris accerſere, quòd Romanum Martyrologium non ſequantur, qui aliam ſibi, aliam aliis diſputandi legem imponit. Nos in Saturnino, Gatiano & aliis Martyrologium Romanum Baronij ſequimur, quia cum omni retro traditione conſentit; in Magdalena, Martha & Lazaro non ſequimur, quia vetus prohibet traditio. Gueſnæus verò legum traditionis immemor in oppoſitam partem concedit, & alios inconcinna quidem, ſed virulenta dictione perſtringit. Nos in Martyrologio, quod ad vſum Romanæ Eccleſiæ ante annũ 1500. Patauij editum eſt, & 1522. & 1558. Venetiis recuſum, de Magdalena, Martha & Lazaro hæc tantùm haberi manifeſtum fecimus: de Magdalena quidem 22. Iulij: *Natale ſanctæ Mariæ Magdalenæ, de qua Dominus ſeptem dæmonia eiecit, &*

quæ ipſum ſaluatorem primum videre meruit à mortuis reſurgentem. De Martha verò 29. Iulij: *Item eodem die feſtum ſanctæ Marthæ virginis, ſororis ſanctæ Mariæ Magdalenæ & ſancti Lazari, hoſpitæ ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti.* De Lazaro tandem 17. Decembris: *Eodem die beati Lazari, quem Dominus in Euangelio legitur ſuſcitaſſe à mortuis.* Deinde oſtendimus, poſt annum Chriſti 1560. tribus illis diebus nonnulla ſuccreuiſſe, quæ nulla ante annum Chriſti ſexcenteſimum traditione defenderentur. Et primo quidem dici hæc addita ſunt: *Apud Maſſiliam:* ſecundo iſta: *Taraſci in Gallia Narbonenſi:* tertio demùm hæc alia: *Maſſiliæ in Gallia Lazari Epiſcopi.* Hæc autem additamenta publico Eccleſiæ vel Pontificum iudicio non tribuimus, ſed Gueſnæus tribuit, hoc eſt, Eccleſiam & Pontifices tollit in altum, quò lapſu grauiore concidant. Iudicent alij, vter noſtrûm veritati, & Eccleſiæ Pontificúmque honori ſinceriùs conſulat? Quod autem pertinet ad vtramque Mariam, quæ Iacobi & Salome dicitur, formare nunc poſſem parem cum ea rationem, quam vir bonus ſic expreſſit cap. 14. Diſquiſitionis ſuæ: Duplex eſt generatim traditio, vna diuina, altera Eccleſiaſtica, quæ ex ſancto Paulo ſeruanda eſt, quæque vim obtinet præcepti: ſed de Maria Iacobi, & Salome vetus eſt Eccleſiæ traditio, quòd illa ſit Verulis in Hernicis, hæc verò Hieroſolymæ; vt præter Romanum Martyrólogium teſtatur Baronius in ſuis ad illud Annotationibus 25. Maij & 22. Octobris: itaque cùm priſcæ traditioni ſtandum ſit, duæ illæ virgines non in Prouincia, ſed in memoratis à Baronio locis quieſcunt.

Gueſnæus promptum ex pharetra ſua telum, ſiue declinet, ſiue excipiat, ſuis ipſe armis confodietur. ſi telum declinet, quam Martyrologio in Magdalena & aliis fidem tribuit, eam eidem in Maria Iacobi & Salome vir prudentiſſimus abiudicabit; ſi verò excipiat, eorum, quæ pagina 125. 126. 127. & 128. de inuentis in Prouincia beatarum *Iacobi & Salomes* corporibus tradit, fides penitus interibit. Porro inſcriptiones illæ, quas veteris monetæ ſpectator diligentiſſimus refert, vt & Sammaximinenſes aliæ, non caſu, ſed certo conſilio repertæ dicentur.

CAPVT SEPTIMVM.

Gueſnæus inſuperhabet quibus monimentis vtatur, veris an falſis.

VT monimenta quamlibet fabuloſa in Gueſnæi Diſquiſitione locum habeant, ſatis eſt, ſi ad cauſam facere videantur. Illa tunc continuò rapit, & ridiculis intempeſtiuíſque amplificationibus adornat. E multis tria ſeligimus ad ſpecimen indiligentiæ, quæ in tota Diſquiſitione magnificè dominatur.

Vnum eſt pagina 85. in qua inuentionem Magdalenæ ſic perſequitur ex Iuliani Chronico: *Iulianus*, inquit, *Petri antiquitatis collector ſtudioſus in Chronico ſuo de Magdalena Maſſilienſi aduena ad annum* 254. *Hoc anno reperta ſunt corpora ſanctæ Mariæ Magdalenæ, Maximini & Marcellæ, quæ Marcella ſanctæ Marthæ pediſſequa anno* 94. *prædicauerat per decennium in ciuitatibus illorum, cu-*

ius corpus ex Illyrico Aquas aduectum eſt. Quibus verbis quid poteſt eſſe fabuloſius? Et verò licèt Gueſnæus hunc auctorem pluribus commendet, poſtrema tamen verba emendanda eſſe docet. Porro Iuliani Chronicon eandem apud eruditos auctoritatem habet ac Chronicon Dextri, quod Hiſpani accepta ex Hieronymo occaſione ſuppoſuerunt.

Alterum pagina 105. vbi neſcio quod Benedicti noni diploma producit, ex quo iſta decerpimus: *Denique ſancitum eſſe à ſanctiſſimis Eccleſiæ rectoribus perhibetur, quo ſtatu, quáve inſtitutione ſancti martyris Victoris Eccleſia permanere conſueuit, quæ ſine ruga, immaculato thoro hucuſque ſedulò viguerit, & ſponſum Chriſtum via immaculata, caſtóque veſtigio ſecuta eſt. Hæc eſt denique æterni ſponſi aula, quæ ita claruit Apoſtolica benedictione, atque omnium peccaminum labis abſolutione, ceu vniuerſalis Romana Eccleſia clauigeri Petri, & ideo ſecunda Roma legitur eſſe, quod ne obliuioni daretur futuris temporibus, hactenus impreſſum antiquis marmoribus continetur. Hac diligentia muniendum cenſuimus prædicti martyris monaſterium apud Maſſilienſem vrbem tempore Antonini Imperatoris fundatum, quod poſtea à beato Caſſiano Abbate conſtitutum eodem rogante, vt fertur à maioribus natu, à beatiſſimo Leone Romanæ ſedis antiſtite conſecratum.* At primùm inepta, & à Romanorum mente aliena eſt comparatio, quæ inter Romanam & ſancti Victoris Eccleſiam inſtituitur. Deinde quid abſurdius, quàm vt ſancti Victoris Eccleſia ſeu monaſterium ſecunda Roma vocetur. Tertiò quid vanius, quàm vt ſecundæ

Romæ priuilegium antiquis marmoribus inciſum habeatur? Quartò ſub Antonini principatu in Galliis fuiſſe monaſteria quis niſi rerum Eccleſiaſticarum imperitus admittat? Quintò Victor ſub Diocletiano martyrium fecit: atqui Antoninus, ſub quo monaſterium ſancti Victoris fundatum dicitur, anno Chriſti circiter 140. Diocletianus verò, ſub quo patitur Victor, anno 284. imperare cœpit. Poſtremò quid eſt illud? Leonem Roma in Prouinciam veniſſe, vt monaſterium ſancti Victoris conſecraret. Hoc igitur diploma vel omnino fictitium eſt, vel quæ in eo narrantur, nugiuendus aliquis Benedicto inſuſurrauit.

Tertium pagina 132. & 133. *Videnda*, inquit, *quæ aſſeruantur in tabulario ſacræ domus Pignanenſis manuſcripta, in quibus de Theodorici victoria, & Collegij Canonicorum regularium Ordinis ſancti Auguſtini inſtitutione, ex antiquiſſimo fundatæ domus inſtrumento legimus in hæc verba: Anno* 517. *Idibus menſis Iulij, Theodoricus Comes Narbonenſis & Prouinciæ filius Clodouei Francorum regis, conuocatis Cæſario Arelatenſi Epiſcopo, Honorato Epiſcopo Maſſilienſi, Cypriano Epiſcopo Tolonenſi, Didymo Epiſcopo Regienſi, & alio Epiſcopo Aquenſi, Theodoricus in honorem Ieſu Chriſti & Deiparæ fundauit hanc præpoſituram anno* 503. *poſt bellum Gothorum, vbi debent eſſe religioſi Diui Auguſtini.* & poſt alia id genus: *Hæc fundatio facta ſub Symmacho & Cæſario Arelatenſi.* Porro his omnibus quid ineptius eſſe poteſt, aut abſurdius? Imprimis enim nullus ante Carolum Magnum vel Pipinum Prouinciæ vel Narbonæ Comes, aut Vicecomes fuit: immo qui ad annum 870. vixit, Boſo

vltimus Arelatenſium rex, & primus Prouinciæ Comes narratur ab iis, qui de rebus Hiſtoricis Prouinciæ & Narbonæ tractarunt. Deinde Cyprianus Tolonēſis & alij, qui res ab Cæſario præclarè geſtas prodiderunt; cùm de tam celebri Epiſcoporum conuocatione, quæ non potuit non eſſe & ſibi & eidem Cæſario honorifica, nihil referant, manifeſtum eſt, hanc conuocationem nulla veritate niti. Tum Didymus, qui ſit Regenſium Epiſcopus, in veterum monimentis nullus comparet. Ad hoc circiter tempus Fauſtus Contumelioſus, & alter Fauſtus in Conciliis Galliæ reperiuntur. Hinc iteratum Theodorici nomen omni ſenſu caret, ſicut & iſtud; anno 517. & 503. niſi dicas Theodoricum hanc Præpoſituram annò poſt bellum Gothorũ 503. fundaſſe, quod magis adhuc ridiculum. Præterea huius aut illius in Eccleſia dignitatis fundatio ſic expreſſa recentem ætatem ſapit. Deinde Theodoricus poſt Clodouei mortem, quæ anno 511. verè contigit, apud Gregorium Turonenſem lib. 3. hiſt. cap. 23. exceſſit anno regni ſui viceſimo-tertio, qui in annum Chriſti triceſimum-quartum incurrit. At Gothicum bellum videre non potuit Theodoricus; cùm illud ab obſidione Narbonenſi cœperit anno 536. vt obſeruat Sirmondus in ſuis ad Sidonium notis. Tum aduerſarius noſter potuit ex Bellarmini recognitionibus diſcere, nomen *Diui* nec eſſe Eccleſiaſticum, nec in antiquis ſanctorum Patrum ſcriptis, aut Conciliis inueniri. Poſtremò annus quingenteſimus decimus-ſeptimus à morte Symmachi Papæ, ſub quo fundatio facta dicitur, quartus eſt. Si verò fundatio facta dica-

tur anno 503. Symmachus quidem erat Papa, ſed Cæſarius nondum erat Epiſcopus, ſi vt ſcribit Baronius anno 544. obiit. Nam quadraginta tantùm annos vixit in epiſcopatu, vt eſt in eius vita.

Ceterum inſtituti mei non eſt, exagitare omnes fraudes & fallacias ſingulorum inſtrumentorum, quibus auctor noſter μέγα βιβλίον, μέγα verè κακὸν comparauit.

CAPVT OCTAVVM.

Multiplex Gueſnæi in diuerſis rerum generibus hallucinatio.

INFINITVS eſſem ſi vellem ad certa capita reuocare, quicquid ſuo & approbatorum libri iudicio eruditus ſcriptor in ſua Diſquiſitione peccauit. Sed res in compendium mittenda eſt, & vnicum ſtatuendum caput, in quod varia σφάλματα ſic aceruatim congerantur, vt tamen de iis liceat hominem certò æſtimare. Non quòd iam notus non ſit ſatis ſupérque, ſed cum ipſo liberaliter agendum eſt. Quod ergo hoc capite daturi ſumus, non ad neceſſitatem, ſed ad demenſum daturi ſumus.

Imprimis maximam in auctoritatem duos libros admittit, Chronicum Dextri, & Legendam auream Claudij à Rota; quorum alterum vt ſubdititium & fabuloſum omnes viri docti repudiant, alterum verò execrantur, vt qui ſanctorum hiſtoriam fictis fabulis inquinauit, & omnibus ludibrio expoſuit. De Chronico conſule cap. 5 & 17.

de Legenda aurea cap. 7. & 17. de cuius auctore hæc Melchior Canus lib. 11. de locis: *Nec ego hîc libri illius auctorem excuſo, qui ſpeculum exemplorum inſcribitur, nec hiſtoriæ etiam eius, quæ Legenda Aurea nominatur. In illo enim miraculorum monſtra ſæpiùs, quàm vera miracula legas; hanc homo ſcripſit ferrei oris, plumbei cordis, animi certè parum ſeueri, & prudentis.* Quantum hic Dominicanus ſcriptor diſtat à Sammaximinenſibus, nemo eſt, qui non facilè perſentiſcat.

Secundò ſub finem capitis 2. pagina 13. & 14. Magdalenæ Maſſiliẽſis hiſtoriam inter ſcripta Eccleſiæ Canonica refert his verbis: *Tria mihi præſtanda video, primùm vt de diſceſſu, an Hieroſolymis aliquando commigrarit Magdalena, & quo tempore, apertum faciam: alterum de aduentu, vt quam regionem adierit, aut portum appulerit, diligenter excutiam. Tertium de funere ac ſepultura, vt non modò penetraſſe Maſſiliam, ſed in ſeceſſu proximæ ſolitudinis ſanctiſſimo fine quieuiſſe.* & poſt alia: *His tribus accuratè diſcuſſis euincam, vt ſpero, aliud de opinione noſtra ferendum eſſe iudicium, nec immeritò rebus geſtis Magdalenæ, quas recenſebimus, locum à nobis inter ſcripta Eccleſiæ Canonica & Hagiographa eſſe attributum.* Et primò quidem impium eſt, Magdalenæ Maſſilienſis hiſtoriam quamlibet certam Scripturis Eccleſiæ Canonicis accenſeri, de quibus pagina 216. ſic loquitur: *Has verò Canonicas appellamus non alia ratione, quàm quòd fuerint hæ Scripturæ ab Eccleſia probatæ, & in Canonem diuinarum ſcripturarum receptæ, ſiquidem Eccleſia regula eſt firmiſſima & certiſſima ad diſcernendum, quæ ſit Scriptura Canonica*

nonica. Sed hac de re Cenſores Romani viderint. Deinde hanc hiſtoriam Canonicam & Hagiographam ſimul vocat, quod eſt abſurdum, cùm pagina 217. Canonicum librum ab Hagiographo diſtinguat, quòd ille ad auctoritatem fidei confirmandam proferatur, hic verò proferri non poſſit. Tum demùm pagina 229. fatetur, hiſtoriam de aduentu Magdalenę in Gallias mendaciis & fabellis repertam eſſe. Etenim is eſt capitis 35. titulus: *Hiſtoria de aduentu Magdalenæ in Gallias mendaciis ac fabellis referta*. Et poſtquam ex Magdalenę geſtis, quæ apud Vincentiũ extant, fabuloſiſſima quæque retulit, pagina 230. ſubiicit quæ ſequuntur: *Hæc omnia, vel quia incerto auctore careant, vel quia in multis fide vacillent, critici abiudicant, & in fictarum fabularum partem & apocryphorum numerum reiiciunt*. Sic quibus placet Magdalenæ geſtis Canonicam auctoritatem tribuit, & quibus placet, confidentiſſimè negat.

Tertiò pagina 24. & 25. tradit Magdalenam perſecutionis metu Epheſum confugiſſe, atque illud probat ex Modeſto Hieroſolymorum Epiſcopo, quem pagina 222. omni verborum acerbitate lacerat: *de Modeſto*, inquit, *Epiſcopo Hieroſolymitano nihil eſt, quod dicam, quàm quod de aliis Græcis, & eiuſdem furfuris hominibus diximus*. Potuiſſet vir bonus antiquiſſimum Epiſcopum paulò humaniùs appellare. Sic tamen propter idem teſtimonium & laudatur, & diriſſimè vexatur.

Quartò pagina 35. in cognitione Conciliorum œcumenicorum imperitiſſimum ſe prodit: *Non*

eſt, inquit, *quod quis dicat, ante Concilium ſecundum œcumenicum Hieroſolymæ celebratum Magdalenam in Gallias eſſe profectam.* Ecce tibi duo œcumenica Concilia, quæ Hieroſolymis Apoſtolorum tempore celebrata inſcitè nugatur.

Quintò pagina 38. Prouinciæ laudes depromit ex Quiguerano, qui libro 3. de laudibus Prouinciæ dicere veritus non eſt, *Magdalenam Maſſilienſibus Lazarum Epiſcopum dediſſe.* Hic auctor, vt erat Latinè doctus, Magdalenæ geſta, quæ ſub nomine Marcellæ circunferuntur, puriori ſermone conueſtiuit.

Sextò pagina 116. Euangelij prædicationem mulieribus committit: *Auenione*, inquit, *primùm Martha ad prædicandum Chriſti Euangelium delata conſedit.* quod valde congruit epiſtolis Pauli, vbi mulieres in Eccleſia tacere iubentur.

Septimò pagina 133. & 134. narrat, quomodo inſtitutus fuit Maſſiliæ religioſus Ordo pœnitentium ſanctæ Magdalenæ, & à Nicolao tertio Pontifice confirmatus: vnde colligit Magdalenam in Prouincia obiiſſe, atque ex ea regione hunc Ordinem propagatum eſſe. Quod æque quadrat, ac ſi quis nunc ex Vaſſeburgio ita diſputaret: *Magdalueus*, inquit ille libro 2. Antiquitatum Belgij, *Virdunenſis Epiſcopus Hieroſolymam perrexit, deinde Epheſum, vnde duos Magdalenæ dentes Virdunum retulit anno 745. vbi poſtea Magdalenæ baſilicam condidit, in eáque ſacras illius reliquias repoſuit, & circum baſilicam cellulas ædificari iuſſit, vbi peccatrices fœminæ manerent, & ad exemplum Magdalenæ pœnitentiam agerent.* Itaque Magdalena Virduni deceſſit, & ex hac vrbe religioſus

Ordo pœnitentium Magdalenæ propagatus eſt.

Octauò pagina 154. vir bonus ſeipſum vincit, dum hæc ſcribit: *Cauſam recondendi reliquias dedêre barbarorum frequentes incurſiones. Nam Sarraceni anno ſalutis 700. illo terrarum tractu, qui Pyrenem inter & Alpes interiacet, occupato, cepêre Auenionem plena luce, Magalonam deuaſtarunt, vrbéſque præcipuas huius tractus, qui eorum ditioni ſubiacuit, donec Carolus Martellus, anno quarto quinto-ve poſt ingentem illam Sarracenorum internecionem ad Turonenſem agrum exhibitam aduentaret. Quare in tam aperto religionis ac vitæ diſcrimine incolis totius Prouinciæ, vel profugis vel fato functis, ſacræ beatorum reliquiæ non tantùm in ſancti Maximini oppido, ſed in tota Saliorum prouincia retruſæ atque abditæ in tenebris ſexcentorum annorum ſpatio, ſequentibus incognitæ poſteris latuerunt. Mamertus Archiepiſcopus Viennenſis in quadam ex ſuis epiſtolis de cladibus, exitióque conqueritur, quibus hoc temporis Sarraceni ſuam diœceſim affecerant.* Hæc ille, in quibus primùm mentitur, cùm ait anno 700. captam eſſe à Sarracenis Auenionem. Hoc enim anno 730. contigiſſe tradunt annales Fuldenſes, vbi ad annum 730. hæc leguntur: *Sarraceni collecto exercitu Auenionem vrbem capiunt, & circumquaque regiones deuaſtant.* Ad hæc vir bonus ſeipſum mendacij arguit, dum cap. 38. Sarracenos ex Hiſpaniis ab Eudone Aquitaniæ Duce in Gallias annò 725. euocatos ſcribit. Deinde meras theatri nugas agit ſcribens, non modò ex omni Saliorum prouincia, ſed etiam ex ſancti Maximini oppido ſacras beatorum reliquias collectas fuiſſe, & abditas in terre-

bris ſexcentorum annorum ſpatio, quaſi ſub ictu Sarracenorum Prouincia ſemper fuiſſet vniuerſa. Tum lectorem ſuum facetè ludificat affirmans, Sanctorum totius Prouinciæ reliquias totos ſexcentos annos ita latuiſſe, vt quo in loco forent, poſterorum ſciuerit nemo. Quinetiam quorum gloriæ velificari ſtudet, iis vir prudens iniuriam creat omni laude maiorem. Cùm enim aſſerit tanto temporis ſpatio Sanctorum totius Prouinciæ lipſana in tenebris delituiſſe, nec vlli mortalium fuiſſe cognita, ex eo conſectarium eſt Prouinciales per id longiſſimum tempus Sanctorum ſuorum reliquias nulla obſeruantia coluiſſe: Non enim illæ reliquiæ coluntur, quæ an ſint, & quo ſint in loco, ignoratur: Deinde Prouinciales negligentiſſimos fuiſſe in perquirendis Sanctorum reliquiis, quibus acceptam Chriſti fidem referre debuerunt: Tum eos, qui primùm Sanctorum totius Prouinciæ reliquias occultarunt, ab ingenti culpa excuſari non poſſe, quòd reliquiarum loca arcanæ inter Prouinciales traditioni non conſignarint: Denique tranſlationes reliquiarum Sanctorum, vt Trophimi & aliorum, quæ per illud tempus in Prouincia factæ celebrantur, incertas eſſe, vel inter fabulas reponendum, quod de tam diuturna reliquiarũ totius Prouinciæ occultatione aſſeuerat: hîc quoquò ſe vertat, incommodum feret. Præterea quæ accuſatus ſcriptor Mamerto Viennenſi tribuit, ea tam vera ſunt, quàm conſtat Magdalenam in Gallias veniſſe. Siquidem tribuit epiſtolas Mamerto, qui nullas ſcripſit, aut certè nullas poſteritati reliquit. Poſtremò de Sarracenis Viennenſium Diœceſim ad

annum 700. infeſtantibus conqueritur Mamertus, qui ad annum 475. floruit. Qui ſeſe ſibilis omnibus explodi tentaret, iſtud nemo aſſequeretur feliciùs, quàm hoc ille loco aſſecutus videtur.

Nonò pagina 157. ex Laziardo Magdalenæ Sammaximinenſis inuentionem ſic aſſerit: *Magdalenæ tranſlationem confirmat Ioannes Laziardus, non ſolùm grauis auctor, ſed maximè certus, in hiſtoriæ vniuerſalis Epitome ſub Nicolao III. Anno 1279. Carolus Comes Prouinciæ filius Regis Siciliæ corpus perquirens beatæ Mariæ Magdalenæ ſollicitè & deuotè in Oratorio, vbi ſanctus ille Maximinus olim Aquenſis Epiſcopus tradiderat ſepulturæ.* & cetera, quæ Laziardus cap. 240. ſcribit. At eundem audiamus antè de Magdalena ſcribentem cap. 19. ſub finem, *Barnabas*, inquit, *apud Cyprum, & Lucas apud Maſſiliam, Martha, Maria Magdalena & Maximinus in Bythinia claruerunt.* Ecce tibi quem grauem & certum auctorem vocat.

Decimò pagina 147. 148. 149. 150. 151. & 152. paucis, vt apparet, diſputat, an Carolus II. Siciliæ rex, qui Barcinone captiuus erat, nuncupatis Magdalenæ votis liberatus fuerit, necne? eo ſcilicet modo, qui à Sylueſtro Prierate & Sammaximinenſibus memoratur. Sed tandem multitudine hiſtoricorum, qui redemptum Carolum ſcribunt, & redemptionali charta, quæ Aquis Sextiis aſſeruatur, victus tacitè negat miraculum eſſe, quod pro ingenti miraculo Prieras, Sammaximinenſes & alij venditant. Et reuera maximum eſſet miraculum, ſi res, vti ſcripſerunt, contigiſſet. Quare prudens aduerſarius cùm non diſſimulat,

quod in gratiam Sammaximinenſium diſſimulare potuit, hos configendi cauſam dedit, & quicquid ex Archiuis ſuis de Magdalena producunt. Tritum enim eſt illud, cui nullus præſcribet vnquam. Hoc habet mendax, vt etiam vera dicenti non credatur. Scio quidem illum velle fictas Sammaximinenſium fabulas in bonam partem interpretari, ſed nullum fucum, nullúmque colorem ſuſcipere poſſunt.

Vndecimò pagina 207. Nicolaus V. Sammaximinenſium priuilegia confirmat anno Pontificatus ſui decimo-quarto, Chriſti 1450: ſed primùm annus Nicolai V. quartus, Chriſti milleſimus quadringenteſimus quinquageſimus eſt. Deinde qui anno Pontificatus ſui octauo migrauit, nullum potuit, opinor, priuilegium concedere anno Pontificatus decimo-quarto.

Duodecimò generalis ἀκρισία, quæ in toto libro longè latéque ſpargitur, hæc eſt: auctor quidem de Magdalenæ & aliorum myoparone & cataplo multa refert, quæ non ab antiquis, ſed à recentioribus referuntur: quorum alij de Magdalena fabulas inuexerunt, alij eiuſmodi fabulis vt Librarij intenti fuerunt. Hîc nullas paginas noto, quia ſingulas notare oporteret, niſi quæ ſolis parergis implentur.

Decimotertiò viri boni parerga ſi quis obſeruare vellet omnia, librum conficeret illius libro non longè minorem. A pagina 4. ad duodecimam diſputat, an Magdalena eadem fuerit, quæ mulier peccatrix? qua in quæſtione multis pro more pauca dicit, & turpi ſilentio premit, quicquid de harum mulierum diſtinctione Guillelmus Eſtius

diſſeruit. Deinde pagina 15. & 16. magnam diſputationem inſtituit de prouinciis, quas inter ſe Apoſtoli ſortiti ſunt. 3. à pagina 17. ad viceſimam ſecundam perſecutiones exequitur, quas Imperatores variis temporibus in Chriſtianos exercuerunt. 4. à pagina 49. ad quinquageſimam ſecundam de primis Galliarum Apoſtolis tractat ex Cornelio à Lapide & Thoma à Ieſu, qui, vt omnes norunt, inter antiquiſſimos & diligentiſſimos Eccleſiæ ſcriptores habentur. 5. pagina 54. hiſtoriæ conditiones explicat, de quibus egit Dionyſius Lambinus in Æmilij probi vitas. 6. pagina 57. & 58. Iaponorum conuerſionem prædicat. 7. pagina 60. Maſſiliæ laudes perſequitur ex Polybio, Cicerone, Plutarcho, & aliis cùm Græcis, tum Latinis ſcriptoribus. 8. à pagina 66. ad paginam 70. vt Romano Breuiario & Martyrologio fidem omnem tribuat, ex Cypriano, Baſilio, & Tarraconenſi Concilio præfatur, deinde ex Hieronymo in epiſtola ad Damaſum de nomine hypoſtaſis, atque ex Irenæo lib. 3. contra hæreſes cap. 3. concludit. 9. pagina 109. 110. & 111. Carmelitarum diſperſionem & aduentum in Gallias appoſitè recenſet, quia Maſſiliam appulerunt. 10. pagina 125, de inuentione corporum beatarum Mariæ Iacobi & Salomæ, & aliorum paſſim Sanctorum tractat. 11. pagina 165. Petri Cardinalis de Fuxo hiſtoriam conficit. 12. pagina 167. & 168. de literis communionis agit, quas olim Patriarchæ ad Romanum Pontificem dirigebant. 13. pagina eadem 168. de reliquiis & veneratione Sanctorum diſputat ex lege cùm ciuili, tum Canonica. 14. pagina 175. breuiculum vitæ Iulij II. conſcribit. 15. pagina

176. exortum inter Vrbanum ſextum & Clementem ſeptimum ſchiſma vir pacificus componit. 16. à pagina 185. ad paginam 204. pias Caroli II. Siciliæ regis, & Renati fundationes ſubducit. 17. à pagina 218. ad paginam 222. ex Melchiore Cano, Cicerone, Liuio, Quintiliano, Plutarcho, Pauſania & aliis demonſtrat, qua cautione legendi ſint Græcorum hiſtorici, qui præſertim de Magdalena Epheſina ſermonem inſtituerunt; prætereáque refert, quidnam viri docti ſenſerint de Cedreno & Zonara. 18. pagina 223. & 224. diſquirit ſenſum huius ſacri Adagij: *In ore duorum aut trium ſtat omne verbum.* 19. pagina 234. ex Epiphanio & aliis de iis agit, qui Acta Apoſtolorum & Euangelia Chriſti corruperunt. 20. eadem pagina de lectione librorum Origenis eruditè diſputat. 21. pagina 236. & 237. de ſancto Alexio, de Apparitione ſancti Michaëlis, de Æde Lauretana, déque obſeruandis in Euangelica hiſtoria copiosè tractat. 22. pagina 238. & 239. cupidiſſimè notat Chronologicos & hiſtoricos errores Gregorij Turonenſis, quem pagina 235. conceptis verbis affirmat *de rebus Galliæ accuratiſſimè ſcripſiſſe.*

Quorſum verò hæc de Gregorio parerga? Scilicet in omnem euentum facta ſunt: Siue enim Gregorius alibi, quàm in Prouincia Magdalenam quieuiſſe dixerit, ſiue dicere voluerit, eundem erraſſe conſtabit, quia Marcella Marthæ pediſſequa Hebraicâ ſcriptione diſſentit, & Gueſneus Latinâ.

In ſumma de rebus fermè omnibus ſermonem habet præterquàm de Antipodibus, qui neſcio quo fato illi exciderint, niſi fortè illud inter legendũ meam fugerit diligentiam. Verùm eiuſmo-

di lucubrationis quis quæſo futurus eſt fructus, quæ vtilitas? Viri docti non legent, ignari negligent, aut lectione infatuabuntur, tantùm abeſt, vt ad Eccleſiaſticarum rerum & traditionum veritatem informentur.

CAPVT NONVM.

Pro Vizeliacenſibus & aliis loci communes auctori ſuo ſincerè redduntur.

CONVITIATOR noſter vbi Sammaximinenſium & Vizeliacenſium litem refricuit, & horum iura diminutè retulit, facili tunc negotio ſecundum Sammaximinenſes pronunciat. Sed vt iis, quæ pro Vizeliacenſium cauſa produxit, faciat ſatis, illa certè nobis obtrudit, quæ ſi reddantur, nullus erit, aut ridiculus.

Primus ergo locus eſt is, quo pagina 249. reſpondet teſtimonio Martini Papæ & miraculorum, quæ in Vizeliaci monaſterio facta fuiſſe narrantur, cùm ab aliis, tum ab iis, qui Prædicatorum Ordini nomen dederunt: *Reponitur,* inquit, *teſtimonio Martini Papæ & miraculorum, niſi aliis maioribus præſidiis muniātur, atque firmentur, incertos caſus pro certis aliquando concludi. Cùm enim ipſi Deo miracula ſanctorum precibus patrare libuit, tunc pro certo habebatur, vbi huiuſmodi cernebantur prodigia, ibi ſacrum aliquod pignus, ſiue illud, quod intendebant ſupplices, ſiue aliud, quieſcere, ad cuius præſentiam mira hæc patrarentur: quamuis miraculorum cauſa interdum ſola ſit fides, eorúmque*

caritas, qui diuinam opem Sanctorum interceſſionibus efflagitarint. Hæc ille vir prudens, quæ Vizeliacenſes monachi ſua faciunt, & ſancti Maximini Prædicatoribus reponunt, aſſerúntque illa omnia miracula, quæ cap. 22. refert, ſic apud Sammaximinum edita fuiſſe, vt in Vizeliaci monaſterio edita ſuſpicatur. Præterea cùm Carolum Barcinone Narbonam Magdalenæ precibus aſportatum idem auctor noſter neget, de veritate aliorum miraculorum, quæ Sammaximinenſes ſoli referunt, multum detrahit, aut detrahi poſſe confirmat. Quid enim eſt tandem, cur Sammaximinenſibus credatur, ſi quod miraculum recitant omnium illuſtriſſimum, in fide ſuſpectum eſſe conſtet?

Alter locus eſt, quo pagina 277. iiſdem Vizeliaci monachis reſpondet: *Ad eas rationes*, inquit, *quibus probari videbatur, veras Magdalenæ reliquias Vizeliacum aſportatas haberi, ita reſpondendum eſt, quod permulti eiuſdem nominis fuère Sancti, vt liquet in faſtis Eccleſiaſticis, atque ita quod ad Sanctum aliquem pertinet, ſæpe alteri eiuſdem nominis tribuitur.* Nunc iſta pari iure Sammaximinenſibus Vizeliacenſes reddunt, quæ reddita, ſi non placent, aliam deinceps ſolutionem vir circumſpectiſſimus quærat.

Vizeliacenſibus accedunt Virdunenſes, qui ſuas Magdalenæ reliquias Epheſo acceptas referunt, vt auctor eſt Vaſſeburgius Virdunenſis Archidiaconus lib. 2. Antiquitatum Galliæ Belgicæ.

Virdunenſibus quoque ſe adiungunt Senonenſes, qui ex Vizeliaci monaſterio vnam Magdalenæ

coſtam ſummo Martini IV. beneficio habuerunt. Tum hi omnes iſta boni viri verba in auctorem retorquent; *Ad te verò quod attinet, pater Lipſanomaſtix, & Epheſinæ & poſtea Gallicæ conuitiator Magdalenæ, cùm in pugnam reuenies contra reliquias Sanctorum & traditiones communi vſu prudentum & peritorum, & Eccleſiæ auctoritate receptas, aliis armis inſtruere, quàm leuioribus illis apocryphis, & vetuſtate neglecta rubiginoſis, quæ tibi hactenus ab ignorantia, & ſpiritu ſingularitatis vſtrinæ tuæ malleatoribus conflata, & tot inanibus ſtudiis comparata habuiſti, vel potiùs, ſi me audis, & te amas, mutata in tam deſperatis rebus ſententia, veritatis lucem ſemper victricem, ac triumphantem, quæ tibi recens oboritur, lubens aſpice atque complectere.* Hæc ille vir moderatiſſimus pagina 250. quibus addendum puto proœmium, quod inſtar famoſi libelli conſcripſit.

Quòd autem hæc omnia reddi meritò poſſint, exigunt multa, quæ nùlla vnquam exceptione à Sammaximinēſibus repellentur: Imprimis Lucius II. Vrbanus II. Clemens III. & Innocentius III. diſertè affirmant corpus beatæ Mariæ Magdalenæ in Vizeliaci monaſterio iacêre, quò Galliæ præſules, & populi, vt Magdalenæ feſto intereſſent, olim conuolarunt. De præſulibus teſtatur Sareſberienſis epiſtola 174. *Nuper*, inquit, *in feſto beatæ Mariæ Magdalenæ Vizeliacum profectus ſum.* De populis Monachus Autiſſiodorenſis in Chronico ann. 1120. *Hoc anno*, inquit, *in Eccleſia Vizeliacenſi in vigilia tranſitus beatæ Mariæ Magdalenæ, incertum quo Dei iudicio innumerabiles promiſcui ſexus, & ætatis atque Ordinis in ipſo*

crepuſculo noctis atque diei Eccleſia ſubitò confla-grante combuſti ſunt. Deinde ſanctus Ludouicus rex Galliæ, Simon Cardinalis, poſtea Martinus IV. plures Epiſcopi, Abbates & Domini illud ipſum conteſtantur, qui & inſuper corpori Magdalenæ releuando, vt loquuntur, interfuerunt. Tum demùm Iacobus Genuenſis, Vincentius Bellouacenſis, atque totus Prædicatorum Ordo, qui de Magdalenæ reliquiis Vizeliacenſibus ita ſentiunt in Breuiario ſuo, quod anno 1254. conſcriptum eſt: *Tranſlatum eſt*, inquit ſexta lectio, *corpus Mariæ Magdalenæ de loco prædicto, ad monaſteriũ, quod dicitur Virziliacum.* Sciunt quidem Vizeliacenſes in villa, quæ nunc eſt oppidum ſancti Maximini, à Prædicatoribus anno 1279. inuentum eſſe corpus, quod beatæ Mariæ Magdalenæ vocarunt. Sed eos ὀψιμαθίας accuſant. Firmas enim habent origines ab iis, quorum res eſt, & aduerſus alios cum Tertulliano veritatis compendio de poſteritate præſcribunt. Illa omnia prioris hæreditatis inſtrumenta edidimus in poſteriori parte Diſſertationis, quam de commentitio Magdalenæ in Prouinciam appulſu nuncupauimus: hæc autem optimo iuxtà & modeſtiſſimo patri diſſimulare placuit, quò faciliùs aduerſarios conuitiis onerarет.

Tertius locus, quo pagina 113. & 114. Sammaximinenſe Cœnobium defendit: *Faceſſat*, inquit, *de Cœnobio Sammaximinenſi à nouatoribus quibuſdam vix admodum Catholicis & hæretico-proximis excogitata recens calumnia, per ſummam fraudem atque malitiam patres Dominicanos prætextu quodam inuentionis reliquiarum ſanctæ Magdalenæ*

Carolum II Siciliæ Regem & Comitem Prouinciæ decepiſſe incautum, fefelliſſe. Sed Vizeliacenſes illud maledici conuitiatoris telum reiiciunt in auctorem ſuum, & quinque viros libri ſponſores: Faceſſat igitur de Cœnobio Vizeliacenſi à nouatoribus quibuſdam vix admodum Catholicis & hæretico-proximis excogitata recens calumnia, per ſummam fraudem atque malitiam patres Vizeliacenſes prætextu quodam inuentionis reliquiarum ſanctæ Magdalenæ, quæ reipſa Magdalenæ non ſunt, Lucium, Vrbanum, Clementem, Innocentium Romanos Pontifices induxiſſe, vt in variis ad Abbates Vizeliaci literis ſcriberent, beatæ Mariæ Magdalenæ corpus in hoc monaſterio iacêre, ſanctum Ludouicum & Simonem legatum poſtea Martinum IV. decepiſſe incautos, atque ſuis artibus effeciſſe, vt Magdalenæ corpus releuarent, quod Magdalenæ corpus non erat, & innumerabiles tandem populos ad ſuum monaſterium pertraxiſſe, quo die Magdalenæ feſtum celebrarent.

Idem quoque dici poteſt de Virdunenſibus & Senonenſibus, quorum illi decerptas ab Epheſina Magdalena, hi ab eadem ſed Vizeliacum aduecta reliquias habuerunt.

Quartus locus, quo pagina 233. Magdalenæ hiſtoriam, quæ apud Vincentium Bellouacenſem Marcellæ neſcio cui fœminæ tribuitur, ab innumeris fraudibus & gerris defendere ſibi videtur: *Vtut ſit, quæro abs te quid repugnantiæ ſit, in hac veri & falſi vicinitate, & quaſi fœdere, quod reprehendis? An quia ærugine maculatur aurum, interpolabitur, & excidet? Aut quia nubibus obduci-*

tur, extingui ſolem omnino neceſſe eſt? Similiter quia rebus præclarè geſtis à Magdalena, interiiciuntur dicta fortaſſe aliqua, confictáque per fallaciam & impoſturam, ideo æqualiter omnibus abrogabitur fides? An quia corporis macula næuus eſt; licebit hinc quantum cuique videbitur, vt tollatur næuus, corpus hoc circūcidere atque amputare? Num animaduertis, quod vbi hanc cenſuræ labem hiſtoriæ Magdalenæ aſperſeris, eadem eluuione in ceteros quoque plurimos Eccleſiæ Annales dedecus redundabit? Hæc acutiſſimo viro reddimus pro iis primùm auctoribus, qui Vizeliacenſis Magdalenæ hiſtoriam quibuſdam maculis aſperſerunt: Deinde pro Cedreno & Zonara, qui Magdalenam Epheſo, & Lazarum è Cypro Conſtantinopolim ſub Leone ſexto tranſlatos prodiderunt. Tum demùm pro Græcis & Latinis, qui Magdalenam Epheſi vita functam tradiderunt, quanquam iſti nullis hanc hiſtoriam næuis deformarunt, ſed primam tantùm Eccleſiæ traditionem vt à maioribus acceperunt, ita & poſteris cuſtodiendam reliquerunt. Hoc autem de Vincentio dici non poſſe, & res ipſa palam loquitur, & Canus libro II. de locis validiſſimè confirmat: *De Vincentio,* inquit, *Beluacēſi & Diuo Antonino liberiùs iudico; quorum vterque non tam dedit operam, vt res veras certáſque deſcriberet, quàm vt nihil omnino præteriret, quod ſcriptum in ſchedulis quibuſlibet reperiretur. Ita ad hiſtoriam vnamquamque exiſtimandam momentóque ſuo ponderandam, non artificum ſtatera, ſed ne populari quidem trutina vſi ſunt. Quamobrem boni licet ac minimè fallaces viri, qui tamen nec auctores eos, à quibus ſuos exſcri-*

pſêre libros, diligenter examinarunt, nec res iuſtis libratas ponderibus, memoriæ prodiderunt, apud criticos graues & ſeueros auctoritate carent. Hic porro communis locus is eſt, quo quicquid placuerit, defendi poteſt, ſed non quo certæ cuidam veritati firmandæ conſulitur. Neque enim ex aliqua narratione, quæ tota veris hiſtoriæ & traditionis legibus repudiari debet, ſi aliud auferas, aliud immutes, aliud adiicias, continuò verum erit, quod arriſerit. Quæ deprauata vir bonus credit Magdalenæ acta, non ad ſuæ vertiginis calculum, vel ad recentiorum ſcripta, qui ex ſubdititiis Magdalenæ actis alia pro arbitrio retinuerint, alia reiecerint, ſed ad vetuſtiora & puriora exemplaria exigere debuit, adminiculante tunc, ſi velit, coniectura, quæ tamen nihil à morato iudicio alienum ſapiat, & primis inſuper Eccleſiarum traditionibus cohæreat. Verùm hac in parte aduerſarius noſter eorum ingenium æmulatur, de quibus ſic verba facit Tertullianus: *Mentior, ſi non etiam à regulis ſuis variant inter ſe, dum vnuſquiſque proinde ſuo arbitrio modulatur, quæ accepit, quemadmodum de ſuo arbitrio compoſuit, qui tradidit.*

Quintus & vltimus locus eſt, quo pagina 227. de Cedreno & Zonara locutus ea ſuggerit, quæ in hac quæſtione nemini prӕterquàm ſibi poſſunt officere: *In turba*, inquit, *ſcriptorum ita ferè plerique omnes comparati, vt præeuntem reliqui tanquam grex arietem ſequantur, & vt muli ſolent, ac ſerua pecora protritis duntaxat, & complanatis itineribus inſiſtant, quæ difficultatum vacua & citra laborem decurrenda proponuntur.* Hæc autem

omnia non ſine magna ratione transferimus in Antoninum, Petrum de Natalibus, Prieratem, Laziardum, Cornelium à Lapide, Ioannem Lorinum, Petrum Caniſium, Iacobum Gordonum, Iacobum Gauterium, Petrum Ribadeneiram, Balduinum Cabillianum, Franciſcum Portacarrerum, Hieronymum Higueram, Arturum à monaſterio, & alios, qui recenſitas à Vincentio fabulas exſcripſerunt toto capite 17. Diſquiſitionis, & ſua fecerunt, quæ Eccleſiæ legibus damnantur. Sic enim habet Canon 83. codicis Eccleſiæ Africanæ: *Item placuit, vt altaria, quæ paſſim per agros & per vias tanquam memoriæ martyrum conſtituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ martyrum conditæ probantur, ab Epiſcopis, qui locis eiſdem præſunt, ſi fieri poteſt, euertantur; ſi autem hoc per tumultus populares non ſinitur, plebes tamen admoneantur, ne loca illa frequentent, vt qui rectè ſapiunt, nulla ibi ſuperſtitione deuincti teneantur, & omninò nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, niſi vbi corpus, aut aliquæ reliquiæ ſunt, aut origo alicuius habitationis vel paſſionis fideliſſima origine traditur. Nam quæ per ſomnia & per inanes quaſi reuelationes quorumlibet hominum vbicumque conſtituuntur altaria, omnimodo improbentur.* Sic quoque Carolus Magnus libro 1. Capitularium cap. 42. *In Concilio Africano, vt falſa nomina martyrum & incertæ ſanctorum memoriæ non venerentur.* Quibus profectò decretis & acta Magdalenæ, quæ ſub nomine Marcellæ pediſſequæ ſcripta ſunt, & Sammaximinenſium reuelationes & ſomnia percelluntur.

Hi ergo communes loci ſunt moneta, quam peritiſſimus artifex cudit, & quam illi hoc capite fideliter reddidimus; eam ſi reſpuat deinceps, adulterij crimen incurret, ſi verò recipiat, aliquid recipiet auro Toloſano nequicquam vtilius.

Ceterùm quæ in Gueſnæi noſtri libro ſuperioribus capitibus obſeruaui, ni fallor, in cauſa fuerunt, cur nonnulli ſuſpexerint, auctorem à me impulſum eſſe, vt Sammaximinenſe negotium eo tueretur modo, quem exhibuimus. Vix enim fieri poſſe credunt, vt tanta erratorum cuiuſlibet generis multitudine laboraret illius liber, niſi vel auctor mecum conueniret, vel in hoc opere ſuam ignorantiam velut in cippo & columna proſcribi vellet. Quod confirmant ex quinque libri fideiuſſoribus, quorum duo primi, qui & mihi noti ſunt, & ob quandam de re ſua Diſſertationem amiciſſimi, rem pro ſua prudentia & ſinceritate tractarint. Sed hanc ſuſpectionem, quæ aliàs ſua probabilitate non careret, tria funditus euertunt. Vnum eſt generalis illa lex, qua ne mala fiant ob ſpem futuri boni prohibetur. Alterum calumniæ, quibus aduerſarios ſuos humaniſſimus pater identidem laceſſit. Nemo enim ſe tanto odio proſequitur, vel cauſam, quam agit, ita deperit, vt propter eam perpetuis onerari conuitiis velit. Tertium ingens illa ineptiarum & hallucinationum vis, quæ librum ſic occupat, vt totus lepra vna videatur. Quis enim vellet cum aliquo conuenire, vt cum tanto & famæ & veritatis diſcrimine hoc vel aliud argumenti genus agitaret? At certè neque ego has ſcribendi conditiones offerrem, neque ille quamlibet bonus opinor acciperet vnquam.

CAPVT DECIMVM.

Expedita vetus Græcorum & Latinorum de Lazari, Magdalenæ & Marthæ obitu & ſepultura traditio.

HVIVS capitis anſam dedit Gueſnæus, qui pagina 227. poſtquam in Cedrenum & Zonaram, vt in primos opinionis noſtræ aſſertores petulanter inuectus eſt, iſta ſubiungit: *Si citiùs illuxiſſes, ô veritas, fortè noſtros habuiſſes amplexus, quia ſeriùs aduenisti, repulſam patiêre, & ne veritatis quidem appellationem merebere. Opinio æmula locum, quem appetis, appetiuit prior & occupauit.* Hæc ille vir, vt apparet, ſinceriſſimus. Veterem ergo traditionem, quæ Cedrenum & Zonaram anteceſſit, ſic breuiter ac ſine fuco expeditum imus.

Lazarus in Cypro obiit, & ſepultus eſt.

1. Antiquiſſimæ traditionis primus teſtis erit Epiphanius Conſtantiæ Cypri Epiſcopus, qui receptas à maioribus de Lazaro traditiones ſic vindicauit lib. 2. hæreſi 66. quæ eſt Manichæorum num. 34. καὶ μή τις νομίσῃ τὸν Λάζαρον εὐθὺς πάλιν τετελευτηκέναι, δεικνύσει γὰρ σαφῶς τὸ ἅγιον εὐαγγέλιον, ὅτι ἀνέκειτο ὁ Ἰησοῦς, καὶ ὁ Λάζαρος ἀνέκειτο μετ' αὐτοῦ· ἀλλὰ καὶ ἐν παραδόσεσιν εὕρομεν, ὅτι τριάκοντα ἐτῶν ἦν τότε ὁ Λάζαρος, ὅτε ἐγήγερται. μετὰ δὲ τὸ ἀναστῆναι αὐτὸν,

ἀλλὰ τριάκοντα ἔτη ἔζησε, καὶ οὕτω πρὸς Κύριον ἐξεδήμησε. *Nec eſt quod ſibi quiſquam perſuadeat, Lazarum ſubinde eſſe mortuum:* (quando primùm excitatus eſt à mortuis) *hoc enim Euangelium apertè declarat, accubuiſſe poſtea Ieſum, & cum eo Lazarum ſimiliter accubuiſſe. Quin & illud inter traditiones reperimus; triginta tum annos natum fuiſſe Lazarum, cùm à mortuis excitatus eſt, atque idem ille triginta aliis annis vixit, atque ita mortuus ad Dominum rediit.* Hæc ille, qui ad annum 375. Panarium ſuum edidit. Quas ergo de Lazari vita & morte traditiones ſcriptis mandauit, illæ non poſſunt non eſſe primæ; quæ ab oculatis teſtibus ad poſteros in Cypro manarunt. Neque enim adhuc locus opinor fuit, quo hæ primæ traditiones interuerterentur. Ad quam verò partem orbis ſpectant, niſi ad eam, quæ ab Epiphanio tam eximiè illuſtrata eſt, & vnde Lazari corpus ante annos pluſquam ſeptingentos Conſtantinopolim tranſlatum?

Alter teſtis erit auctor Menologij, quod Cardinalis Sirletus latinitate donauit, 17. Octobris: *Relatio,* inquit, *pretioſarum reliquiarum ſancti & iuſti Lazari, quas reliquias celeberrimus & fideliſſimus Imperator Leo diuino zelo commotus in templo pulcherrimo ſub eius ſancti viri nomine dicato ex vrbe Citienſi Conſtantinopolim tranſlatas in argenteis loculis repoſuit.* Citium vrbs eſt inſulæ Cypri, ex qua Lazari tranſlatio fieri debuit ad annum circiter 886. quo Imperium Orientis Leo capeſſiuit.

Tertius teſtis erit auctor Magnorum Menæorum, quæ ante aliquot annos Venetiis Græcè tan-

tùm prodierunt, vbi 17. Octobris habetur hoc metricum proſphonema:

Αιερoσα Χειστοῦ τῷ φίλῳ πόλις πύλαι
Λάζαρε δεῦρο χριστομιμήτως λέγει.

Conſtantinopolis relegens veſtigia Chriſti
Talibus exclamat, Lazare adeſto foras.

Vt Menologia, ſic & eorum auctores ni fallor Cedrenum & Zonaram anteceſſerunt, qui poſtea referentur.

His Græcis adiungimus primùm Honorium Auguſtodunenſis Eccleſiæ Preſbyterum, qui de Lazaro hæc tradit ſermone in Ramis Palmarum: *Phariſæi decreuerunt, vt Lazarus interficeretur, ſed Deo de illo meliùs diſponente, ad vtilitatem Eccleſiæ reſeruatur. Nam fertur, quod poſtmodum triginta annis in Cypro Eccleſiæ Epiſcopus præfuerit.* Hæc ille, qui vt ſcribit Trithemius, ad annum 1120. floruit. Porro illa facilè conueniunt cum Cypri traditionibus, quæ apud Epiphanium omni luce clariores conſignantur.

Honorium excipient illæ Galliarum Eccleſiæ, quæ hac Proſa in diuinis officiis olim hodiéque vtuntur: *Suſcitatur Lazarus, tumulo vinctus manus & pedes vinculo, adepturus dignius præmium, gratulantur plures è populo, proclamantes viſo miraculo, redemptorem veniſſe gentium.* Et paulò pòſt: *Diſcedit Lazarus, deſerit patriam, mare tranſit, timens ſæuitiam Iudæorum, deuenit ocyus in Cyprum inſulam, flos Sanctorum, præſulatu ſublimatus, mundo vixit Deo gratus, tandem per martyrium eſt à Deo coronatus, & in cælo collocatus ordine cæleſtium.* Hanc Proſam præ ceteris Eccleſiis concinit Eccleſia ſancti Lazari, tum quæ eſt ad

Bellouacum, tum quæ ad Lutetiam Pariſiorum. Hic autem Hymnus in eo differt ab iis, quos pagina 113. & 123. Gueſnæus memorat, quòd cum antiquis de Lazaro traditionibus conueniat, alij verò diſſideant, nec vltra annum Chriſti ſexcenteſimum regrediantur.

Villamontius lineam Eccleſiaſticæ traditionis claudet lib. 2. Peregrinationum cap. 7. qui cùm in inſula Cypro verſaretur & Citio, quod eſt oppidum Cypri, tranſiret, vidiſſe ſe vetuſtiſſima templa ſcribit, in honorem ſancti Lazari Citienſis Epiſcopi ædificata. Hæc priſtinis de Lazaro traditionibus coniungenda ſunt, & continuò ſecernenda ab iis, quæ idem auctor poſtea de Lazaro Maſſilienſi ex vulgi opinionibus adiungit. Ecce tibi caſtiſſimos incorruptæ vetuſtatis limites, quos nulla vnquam anilium fabularum defenſio, nulla nouellæ adinuentionis libido refiget. Hæc igitur Eccleſiaſticæ traditionis linea ſi Gueſnæo diſplicet, in arcem cauſæ noſtræ inuadat, Epiphaniúmque arietet antiquioribus inſtrumentis: Vnicum producat athletam, qui de Lazari traditionibus per ætatem accuratiùs armetur, vel ſanè comprimat vocem, hactenus indicem ignorantiæ ſuæ.

Magdalena Epheſi obiit, & ſepulta eſt.

2. Vt Epiphanius Conſtantiæ Cypri Epiſcopus gentis ſuæ de Lazaro, ita & Modeſtus Hieroſolymorum præſul gentis quoque ſuæ de Magdalena traditiones collegit, quæ ſic ſe habent in oratione, quam ante annos mille de vnguentiferis virginibus ſcripſit: εἰκότως οὖν τὴν Μαρίαν ἐκλέγεται

τὴν Μαγδαληνὴν ὁ σωτήρ, ἀφ' ἧς ἐκβεβλήκει δαιμόνια ἑπτά. ἵνα τὸν ἄρχοντα τῆς κακίας δι' αὐτῆς ἀπελάσῃ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως. ὅτι, φησίν, αἱ ἱστορίαι τὴν Μαγδαληνὴν ταύτην διὰ βίου παρθένον διδάσκουσι, καὶ μαρτύριον δὲ αὐτῆς φέρεται, ἐν ᾧ λέγεται διὰ τὴν ἄκραν αὐτῆς παρθενίαν καὶ καθαρότητα, ὡς ὕαλον αὐτὴν καθαρὸν τοῖς βασανισταῖς φαίνεσθαι. ὅτι, φησί, μετὰ τὴν κοίμησιν τῆς δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου πορευθεῖσα εἰς Ἔφεσον πρὸς τὸν ἠγαπημένον μαθητὴν, ἐκεῖσε τὸν δρόμον ἀποστολικὸν διὰ τοῦ μαρτυρίου ἡ μυροφόρος Μαρία ἐτελείωσε. μὴ θελήσασα μέχρι τῆς τελευτῆς χωρισθῆναι τοῦ παρθένου καὶ εὐαγγελιστοῦ Ἰωάννου. *Meritò igitur elegit Mariam Magdalenam Saluator, è qua ſeptem dæmonia eiecit, vt principem peccati per illam ab hominibus expelleret. Hiſtoriæ tradunt Magdalenam, de qua Dominus ſeptem dæmonia eiecit, hanc virginem fuiſſe, & martyrium huius memoratur, vbi dicitur, propter ſummam illius virginitatem & puritatem, illam tanquam vitrum purum tortoribus viſam fuiſſe. Poſt obdormitionem ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ Deiparæ profecta eſt Epheſum ad dilectum diſcipulum, vbi curſum Apoſtolicum per martyrium vnguentifera Maria perfecit, nolens ad extremum vſque ſpiritum ab Ioanne Euangeliſta & virgine ſeparari.* Hæc Modeſtus apud Photium codice 275. quæ ex receptis apud Græcos, & vt par eſt credere, Hieroſolymitanos hiſtoriis & traditionibus accepit, & ſua auctoritate, quæ in hac re maximi ponderis eſt, confirmauit. Facilè tamen patior, vt Gueſnæus & coniurati cum eo ſponſores libri, & vetuſtiores Modeſto hiſtoricos, & Modeſtum ipſum mendacij redarguant, ſed ex iis inter Græcos auctoribus, qui rem nunc controuerſam me-

liùs nouerint, antiquioribus ſcilicet, æqualibus, vel certè ſupparibus. Quod nî fecerit, vetuſtiorum Modeſto hiſtoricorum, & Modeſti ipſius traditionem quis animi compos non amplecteretur, & defenſa ab illo viro bono commenta non improbaret?

Gregorius Turonenſis ante annos quoque mille hæc de Magdalena poſteritati commendauit lib. I. de Miraculis cap. 30. *In Epheſo autem habetur locus, in quo hic Apoſtolus* (Ioannes) *Euangelium, quod ex eius nomine in Eccleſia legitur, ſcripſit.* & poſt pauca: *In ea vrbe Maria Magdalena quieſcit, nullum ſuper ſe tegmen habens. In ea & ſeptem dormientes habentur.* Hæc ille, qui & antiquioribus & æqualibus ſibi Græcis concordat. Neque verò iſta tanquam à ſe inuenta, ſed vt à maioribus traducta, vniuerſóque orbi notiſſima proponit. Quò ſanè ſpectant hæc verba, *nullum ſuper ſe tegmen habens*, quibus res explorata ab iis maximè, qui loca ſacra inuiſerant, perſpectáque declaratur. Verùm facilè patior, vt Gueſnæus & coniurati cum eo ſponſores libri Gregorium falſitatis accuſent, ſed ex iis inter Latinos auctoribus, qui rem nunc controuerſam meliùs nouerint, quíque Magdalenam in Gallias mari vel terra veniſſe conceptis verbis aſſeruerint, antiquioribus ſcilicet, æqualibus, vel certè ſupparibus. Quod nî fecerit, ratum erit atque fixum, quicquid de Magdalena vir rerum Gallicarum peritiſſimus ſcripſit.

In hac porro ætate quis crederet Modeſtum & Gregorium tanto inter ſe locorum ſpatio diſtantes ſic in vnam conſpiraſſe ſententiam, quæ cum

omni retro traditione pugnaret? Credit enimuerò Gueſnæns, audactérque aſſerit, Modeſtum furfureum auctorem eſſe, & Photium, à quo Modeſti refertur oratio, ſchiſmaticum, Gregorium verò in hiſtoria ſæpiùs peccare; in ſumma neutrum conſentire Sammaximinenſium reuelationibus, & Magdalenæ geſtis, quæ Marcella Marthæ pediſſequa Hèbraicè compoſuit, quæque Synthex multa prætermittens in Latinum vertit: Calumniæ, nugæ, quibus quælibet memoriæ prodita à Modeſto vel Gregorio veritas inobſcuraretur.

Sanctus Vuilibaldus Aichtadianus antiſtes, qui ad annum Chriſti 745. loca ſancta inuiſit, verum eſſe comperit, quod Gregorius Turonenſis de Magdalenæ ſepulchro recenſuit: *Tranſitis*, inquit auctor vitæ illius, *Choo, Samóque inſulis tabentes ſalo artus apud Epheſum Aſiæ inſulam exponunt, vbi poſtquam ad ſepulchrum ſancti Ioannis Euangeliſtæ ebulliens inde manna admirantes lacrymis perfuderunt, poſtquam ſe ſeptem dormientibus & Mariæ Magdalenæ ibidem requieſcenti commendauerant*, &c. Hæc ſanctus Epiſcopus retulit ei, qui Hodœporicum deſcripſit apud Henricum Caniſium tom. 4. parte 2. Antiquarum Lectionum. Hæc quanquam veriſſima ſunt, facilè tamen patior, vt vir bonus ea redarguat ex auctoribus Græcis vel Latinis, qui ab anno Chriſti 700. ad annum 800. floruerunt. Quod ni fecerit, id firmiſſimè ſtabit, quod nobis vita ſancti Vuilibaldi ſcripta tempore non ſuſpecto teſtatur.

Ad hanc ætatem referendum eſt id, quod habet vetus Martyrologium M.S. Abbatiæ Monia-

lium ſancti Laurentij Bituricenſis; vndecimo Calendas Auguſti: *Apud Epheſum ſancta Mariæ Magdalenæ.* Nunc diligentiſſimus pater proponat aliquod vetus Maſſilienſis aut Aquenſis Eccleſiæ Martyrologium, vbi ſit: *Apud Maſſiliam, vel Aquas Sextias ſancta Maria Magdalena*, tunc ſi conſtet non eſſe recenti manu ſcriptum, ſed ante annos ſexcentos exaratum, reuerentiam illius benignè audiemus, vt videat nos nullam inueniendæ aſſerendæque veritatis rationem auerſari. Flodoardus Remenſis Preſbyter lib. 1. de triumphis Sanctorum Palæſtinæ cap. 27.

Pluribus, inquit, *hæc tellus hinc priſca legis alumnis*
Inde noua rutilat Chriſti, quos gratia ſaluat.
Hac quoque Magdalene regione Maria reſidet
Dæmonibus pulſis Ieſus, quà flaminis almi
Vt feruenter amet, patet eſſe capacem.
Cuius ita Chriſto placuit dilectio pura,
Vt Stygiis illum redeuntem prima videret,
Ex clauſtris Erebi violenta lege ſoluta,
Hic prope Bethaniam tibi Lazare ſancte ſepulchrum,
Vnde quaterno poſtquam te ſole retentat,
Hæc domus Eccleſia eſt, tua ſororúmque tuarum.

Hæc ex manuſcripto codice ſanctæ Mariæ Laudunenſis, qui à reuerendo patre Thomà de Aquino Carmelita Diſcalceato publicam lucem exſpectat. Quamuis autem Flodoardus Magdalenam & Lazarum in Oriente mortuos eſſe non canat, eos tamen Orientalium Sanctorum numero adſcribit, nec vbi Sanctorum Galliæ triumphos exequitur, Magdalenam & Lazarum in Prouinciam

veniſſe memorat. Ex quo manifeſtum eſt, tunc nondum natum eſſe, qui ſub Marcellæ nomine geſta Magdalenæ fabularetur. Neque verò Flodoardi ætas vel accuratio ferebat, vt ab illis geſtis, ſi tunc edita fuiſſent, abſtineret. Stupenda enim Magdalenæ nauigatio, Euangelij prædicatio, & in præruptum montem receſſus, & diuturna ſolitudo poëtæ venam prouocaſſent.

Magna Menæa die 22. Iulij antiquam traditionem retinent, eámque ita confirmant: Τῆς ἁγίας μυροφόρου καὶ ἰσαποστόλου Μαρίας τῆς Μαγδαληνῆς. & poſt alia: μετὰ τὴν ἁγίαν ἀνάληψιν γενομένη εἰς Ἔφεσον πρὸς τὸν Ἰωάννην τὸν θεολόγον, καὶ ἀπόστολον ἐκεῖ ὁσίως κεκοίμηται, καὶ ἐτέθη πρὸς τῇ εἰσόδῳ σπηλαίου, ἐν ᾧ ἅγιοι καὶ μακάριοι ἑπτὰ κεκοίμηνται παῖδες. ὕστερον δὲ ἐπὶ Λέοντος τοῦ ἐν μακαρίᾳ τῇ λήξει γενομένου βασιλέως ἡμῶν τὸ ταύτης ἀνακομισθὲν λείψανον ἐν τῇ ὑπ' αὐτοῦ συστάσῃ μονῇ τοῦ ἁγίου Λαζάρου κατετέθη, ἐν ᾗ ἐτησίως καὶ ἡ σύναξις αὐτῆς τελεῖται. *Sancta vnguentifera, & æqualis Apoſtolorum Maria Magdalena. Poſt ſanctam Aſſumptionem dum Epheſi verſaretur cum ſancto Ioanne Theologo & Apoſtolo, ibi ſanctè obdormiuit, & appoſita eſt in ingreſſu ſpelæi, in quo ſancti & beati ſeptem pueri quieſcunt. Poſtea verò cùm Leo in Oriente feliciter imperaret, tranſlatum illius corpus Lazaro adiunxit, & in eodem templo collocauit, vbi & ſingulis annis feſtiuitas illius celebratur.* Hæc eadem penitus verba habentur in Synaxario Græcorum ante quingentos annos exarato, cuius mihi copiam fecit humaniſſimus iuxtà & doctiſſimus Sirmondus.

Georgius Cedrenus Menæis & Synaxario accedit in compendio hiſtoriarum: ἀνήγειρε δὲ καὶ ναὸν ἄλλον

κατὰ τοὺς τόπους, εἰς ὄνομα τοῦ ἁγίου Λαζάρου, ἐν ᾧ καὶ τὸ τοῦ ἁγίου μετακομίσας ἀπέθετο σῶμα, καὶ τῆς ἁγίας Μαρίας Μαγδαληνῆς ἐξ Ἐφέσου μετακομίσας. *Ibidem aliud templum condidit* (Leo) *beato Lazaro ſacrum. In eoque reliquias huius ſancti* (Citio) *& Mariæ Magdalenæ Epheſo allatas repoſuit.* Hæc ille, qui Compendium hiſtoriarum ab orbe condito ad annum 1057. ſcripſit.

Ioannes Curopalata eiuſdem eſt cum Cedreno ſententiæ in hiſtoria, quam ab anno 811. ad annum 1081. perduxit: *Leo Imperator templum conſtruxit, ſancto Lazaro dedicatum, in quo Sancti allatum corpus repoſuit, atque ſororis eius Mariæ Magdalenæ.* Hic Leo, cuius meminerunt Cedrenus & Curopalates, ad annum 911. è viuis exceſſit, atque ita rem ab ſuis patribus viſam hiſtorici ſcriptis prodiderunt.

Ioannes Zonaras monachus Conſtantinopolitanus tom. 3. annalium, qui in annum Chriſti 1118. deſinunt, rem oculis ſuis quotidie ſubiectam declarat in Leone: καὶ ἐπ' ὀνόματι τοῦ ἁγίου Λαζάρου ναὸν ἐδείματο ἕτερον, εἰς ὃν καὶ τὸ ἱερὸν ἐκείνου σῶμα ἀποθησαυρίσειεν ἐκ τῆς Κύπρου μετενεχθὲν, ἀλλὰ καὶ τὸ τῆς Μαγδαληνῆς Μαρίας. *Condidit & aliam ædem ſancti Lazari nomine, in qua ſacrum eius corpus è Cypro tranſlatum condidit, necnon Mariæ Magdalenæ corpus,* quod ſcilicet Epheſo quoque aduectum eſt. Loca, ex quibus tranſlatio facta eſt, Cedrenus & Zonaras breuitate ſermonis inuoluunt, ſed ex aliis auctoribus euoluenda ſunt. Verùm hos hiſtoricos reiicit Gueſnæus, quia ſciſſam cum Eccleſia Latina concordiam fouerunt. Ridiculè omnino: quaſi quæ de Magdalena & Lazaro ſcripſerint, ad Spi-

ritus ſancti Proceſſionem, vel ad alia violatæ religionis capita pertinerent.

Baldricus Epiſcopus Nouiomenſis lib. 2. Chronici cap. 43. *Eſt*, inquit, *monaſterium Canonicorum in honore Apoſtolorum Petri & Pauli in vico, qui dicitur Lutoſa, quod conſtruxit beatus Amandus, & eſt diues Abbatia, vbi vir Dei venerabilis Baidilo requieſcit, qui corpus ſanctæ Mariæ Magdalenæ de Ieruſalem in Burgundiam in loco Verceliaco attuliſſe dicitur.* Hæc ille, in quibus piæ in Orientem peregrinationis ſcopum, id eſt, Hieroſolymam ſpectaſſe crediderim, non locum, vbi tunc Magdalenæ corpus iacebat. Vtut ſit, ex Baldrico, qui ad annum 1112. obiit, profectò conſtat, nondum ſuo tempore palam inuectum, Magdalenam in Prouinciam veniſſe, ſed in Oriente obiiſſe, vnde corpus in Burgundiam transfertur. Immo Ionuillæus in vita ſancti Ludouici cap. 80. ſignificat, incertum adhuc eſſe Magdalenæ Maſſilienſis rumorē, quo tēpore Rex ſanctiſſimus ab expeditione terræ ſanctæ in Galliam reuerteretur, hoc eſt, ad annum 1254. Sed paulò pòſt Sammaximinenſes fratres hunc rumorem ſuſtulerunt, ſuíſque reuelationibus & ſomniis, vt Gueſnæi voce vtar, rem confirmarunt.

Vtrum autem Baidilo tantæ fuerit auctoritatis, vt à Græcis Magdalenæ corpus obtinuerit, diſputare mei inſtituti non eſt, nunc aliorum eſto iudicium. Vtcunque ſit, tranſlatum in Burgundiam Baldricus aſſerit, & ſupponunt Pontifices, quorum epiſtolas edidimus, ſicut idem Magdalenæ corpus in Prouincia quieſcere ſupponunt alij, qui poſt Bonifacium VIII. hoc ipſum ſuis epiſtolis

aſſeruerunt. Hæc mera facti, non dogmatis quæſtio eſt, ex hominum teſtimoniis pendens, in qua poteſt quiſque ſanctiſſimus, atque doctiſſimus fidei orthodoxæ profeſſor aliquando falli.

Richardus Vaſſeburgius, qui ſuperiori ſæculo vixit, lib. 2. Antiquitatum Galliæ Belgicæ Magdalenam Epheſinam atteſtatur, vbi piam Magdaluei Virdunenſis Epiſcopi ad ſancta loca profectionem ſic deſcribit: *Magdalueus Conſtantinopoli venit Epheſum, vbi ſancti Ioannis Euangeliſtæ ſepulchrum inuiſit, eíque tunc oſtenſum eſt Magdalenæ corpus, quod vnuſquiſque intueri facilè poterat in ſepulchro, quod operimento nullo tegeretur.* & poſt alia, quæ cùm ex fabuloſa corporis ex Aquenſi oppido tranſlatione ad Vizeliacum, tum ex ficto inter Magdalueum & Epheſi Preſbyteros colloquio inſerit: *Magdalueus duos Magdalenæ dentes cum aliqua capillorum portione obtinuit.* & poſt alia: *Vbi reuerſus eſt Magdalueus ædem ædificari curauit, quam Magdalenæ ſacram eſſe voluit, in eáque illius reliquias collocauit.* Hac in narratione ſi pretioſum à vili ſeparetur, quod pretioſum eſt, cum omni retro memoria quadrabit. Quod autem fabuloſum hiſtoriæ Magdaluei indidit Vaſſeburgius, ex ſeculi ſui contagione habuit. Si quo enim tempore vixit Magdalueus, hiſtoriam ſcripſiſſet æque, ac qui vitam Vuilibaldi confecit, recentium fabularum aut ficti colloquij nihil admiſcuiſſet, ſi modò verum eſt Magdalueum in Orientem profectum.

Anthologium, ſeu Breuiarium Græcum, quod Romæ anno 1598. editum, ac probatum eſt à Clemente VIII. & quamplurimis Cardinalibus,

omnia ſic concludit in Officio Magdalenæ die 22. Iulij: ἥτις προσελθοῦσα τῷ Χριστῷ ἠκολούθησεν αὐτῷ. αὕτη ἐκ τῶν Μαγδάλων ἦν τῶν ὁρίων Συρίας, ἐνοχλουμένη ὑπὸ δαιμόνων ἑπτά. & poſt alia: μετὰ οὖν τὴν θείαν καὶ ἁγίαν ἀνάληψιν γενομένη εἰς Ἔφεσον πρὸς τὸν ἅγιον Ἰωάννην τὸν θεολόγον καὶ ἀπόστολον ἐκεῖ ὁσίως κεκοίμηται καὶ ἐτέθη πρὸς τῇ εἰσόδῳ τοῦ σπηλαίου, ἐν ᾧ οἱ ἅγιοι καὶ μακάριοι ἑπτὰ κεκοίμηνται παῖδες. ὕστερον δὲ ἐπὶ τοῦ Λέοντος τοῦ ἐν μακαρίᾳ τῇ λήξει γενομένου βασιλέως ἡμῶν τὸ ταύτης ἀνακομισθὲν λείψανον ἐν τῇ ὑπ' αὐτοῦ συστάσει μονῇ τοῦ ἁγίου κατετέθη, ἐν ᾗ ἐτησίως ἡ σύναξις αὐτῆς τελεῖται. *Quæ cùm ad Chriſtum acceſſiſſet, ſecuta eſt eum. Hæc orta erat ex Magdalis finibus Syriæ, à ſeptem dæmonibus turbata. Poſt diuinam igitur & ſanctam Aſcenſionem, dum Epheſi cum B. Ioanne Theologo & Apoſtolo verſaretur, ibi ſanctè obdormiuit, & in ingreſſu ſpelæi collocata eſt, in quo ſancti & beati ſeptem pueri quieſcunt. Poſtea verò cùm Leo felicibus auſpiciis imperaret, illius allatum inde corpus in eodem cum ſancti Lazari reliquiis templo, quod Imperator ædificauerat, repoſitum eſt, vbi quotannis feſtiuitas illius celebratur.* Quæ eadem verba reperiuntur in vetere Synaxario, quod laudauimus. Hoc autem Breuiarium Græcum Latino, vbi Magdalenam in Gallias acceſſiſſe ferunt, hac in re præſtat, quòd cum antiquis vtriuſque Eccleſiæ ſcriptoribus cóſentiat, Latinum verò diſſentiat, nec vltra quingentos circiter annos regrediatur, & tum demùm in ſubdititiam Magdalenæ & Marthæ hiſtoriam deſinat, quæ ſub nomine Marcellæ circumlata multos Breuiariorum & recentium ſcriptorum codices occupauit. Sed iſta nihil poterunt vnquam aduerſus ſumma & inuictiſſima iura veri-

tatis, quæ vt ait Baronius anno 109. num. 51. nulla plurimorum ſæculorum valent præſcriptione lædi, nec innumera teſtium multitudine obrui & labefactari. Hoc etiam contra Sammaximinenſes perinde dicimus, quaſi nulla iis cùm Vizeliaci monachis fuiſſet contentio.

Martha Hieroſolymis obiit, & ſepulta eſt.

3. Vt Magdalenam & Lazarum, ſic & Martham in oras Prouinciæ maritimas non appuliſſe iuxtà certum eſt. Etenim qui Martham appuliſſe dicunt, in eadem cum illis duobus naui appuliſſe dicunt. Vnde fit, vt quibus machinis Magdalenæ & Lazari, iiſdem & Marthæ è Iudæa in Prouinciam appulſus retardatur, & delirantium nautarum ſomniis accenſetur. Et quanquam quæ ad commentitiam nauigationem ſpectant, illa paribus rationum momentis nituntur, par tamen non eſt Magdalenæ, Lazari & Marthæ apud antiquos mentio. Nam quo in loco Magdalena & Lazarus ex hominum colluuione diſceſſerint, memorant, ſed quo in loco Martha extra Martyrologiorum codices, non memini me legere vſpiam obſeruatum. Ergo diuerſarum Eccleſiarum Martyrologia perquirenda ſunt, quæ nos locum obitus Marthæ doceant.

Horum Martyrologiorum primum erit Rabani Moguntinenſis Epiſcopi, qui Carolo Caluo Imperatore vixit: 14. Calendas Februarij: *Hieroſolyma natale Marthæ, & Mariæ ſororum Lazari.*

Secundum Notkeri Sangallenſis monachi, qui ante annos ſexcentos floruit: 14. Calendas Fe-

bruarij: *Hieroſolymis natiuitas ſanctarum Marthæ & Mariæ ſororum Lazari.*

Tertium ſub nomine Hieronymi ante annos ſexcentos ſcriptum in Bibliotheca Corbeienſi, cuius verba dedit Hugo Menardus in ſuis ad librum Sacramentorum Gregorij notis: 14. Calendas Februarij: *Hieroſolyma Marthæ & Mariæ ſororum Lazari.*

Quartum paruulum Martyrologium, quod ibidem Menardus ait Remenſi Martyrologio aſſutum eſſe: 14. Calendas Februarij: *Hieroſolyma Maria & Martha ſorores Lazari.*

Quintum Corbeienſe apud eundem Menardum: 14. Calendas Februarij: *Hieroſolyma Marthæ & Mariæ.*

Sextum vetus Martyrologium M. S. Remenſis Eccleſiæ: 14. Calendas Februarij: *Hieroſolyma Mariæ & Marthæ ſororum Lazari.*

Septimum vetus Martyrologium M. S. Eccleſiæ ſancti Stephani Trecenſis: 14. Calendas Februarij: *Hieroſolymis Marthæ & Mariæ ſororum Lazari.*

Octauum vetus Martyrologium M. S. Andegauenſis Eccleſiæ: 14. Calendas Februarij: *Hieroſolymis Mariæ & Marthæ ſororum Lazari reſuſcitati.*

Nonum vetus Martyrologium M. S. Metenſis Eccleſiæ: 14. Calendas Februarij: *In Hieroſolyma natalis Mariæ & Marthæ ſororum Lazari.*

Decimum Martyrologium vetus M. S. quod eſt in Bibliotheca Thuana: 14. Calendas Februarij: *Hieroſolyma natalis Mariæ & Marthæ ſororum Lazari.*

Vnde-

Vndecimum vetus Martyrologium M. S. quod eſt Rotomagi in Bibliotheca viri clariſſimi Ioannis Bigotij in Curia ſubſidiorum Senatoris: 14. Calendas Februarij: *Hieroſolyma Mariæ & Marthæ ſororum Lazari.*

His adiungimus appendicem Martyrologij Adonis Viennenſium Epiſcopi: 14. Calendas Februarij: *Hieroſolymis Marthæ & Mariæ ſororum Lazari.*

Deinde Calendarium vetuſtiſſimum Codicis Ratoldi memorato apud Menardum loco: 14. Calendas Februarij: *Hieroſolymis Marthæ & Mariæ.* Notandum eſt nomine Mariæ, Mariam Magdalenam non intelligi, ſed aliam mulierem iuxta ſententiam veterum Patrum, qui Magdalenam Lazari ſororem non fecerunt, à peccatrice diſtinxerunt, adeóque plures mulieres in Euangeliis intelligendas ſtatuerunt. Qua de re videatur Eſtius in doctiſſima oratione, quam de Magdalena, illiúſque à peccatrice diſcrimine habuit.

Ex tot igitur veteribus Martyrologiis, quibus diſiunctiſſimæ Eccleſiæ olim hodiéque vtuntur, manifeſtè liquet, Hieroſolymam locum eſſe, vnde Martha in cælum euolauit.

Ad deciſionem quæſtionis, quæ hoc capite præ manibus eſt, antiquitas doctrinæ quantum valeat, ſenſit ipſe aduerſarius: Et rectè quidem, ſuo-ne, an alieno iudicio non refert. Sed eam doctrinæ antiquitatem malis artibus affectauit, vt ſuperior malæ fidei ſyllabus docet, atque ita cauſam, quam tuetur, ſua defenſione deteriorem fecit, & miſerandum in modum profligauit.

Nunc ſupereſt, vt Tertulliani verbis caput iſtud concludamus : *Expedita virtus veritatis paucis amat, & aduerſus multa, quæ mendacio neceſſaria ſunt, pauca defendunt. Vbi ex ipſo ordine manifeſtatur id eſſe verum, quod ſit priùs traditum, id autem extraneum & falſum, quod ſit poſteriùs immiſſum. Ea ſententia manebit aduerſus poſteriores quaſque hæreſes, quibus nulla conſtantia de conſcientia competit ad defendendam ſibi veritatem.*

CAPVT VNDECIMVM.

Expoſita ſuperiori capite traditio quæſitis ex hiſtoria Eccleſiæ rationibus confirmatur.

QVÆ rationes expoſitam de Lazaro, Magdalena & Martha traditionem confirmant, eiuſmodi ſunt, vt, ſi nulla illius teſtimonia ſuppeterent, rem ipſam, quæ confirmatur, apud eruditos & cordatos homines ſine dubio ſtabilirent. Et primò quidem ad annum 397. quo Synodus Taurinenſis habita eſt, cùm Proculus Maſſiliæ Epiſcopus ſeſe Metropolitanum gereret, & alij contrà repugnarent, dubium nullum eſt, quin continuò ex Magdalenæ appulſu & Lazari auctoritate ius ſuum vindicaſſet ? Quid enim quæſo aliud efficacius adferre quiuiſſet, aut validius ? Et verò Maſſiliæ licet nonnihil defuiſſet ſplendoris, qui ceteras vrbes in rebus ciuilibus commendat, id prima intra Prouinciam Euangelij acceptio, & Lazari Epiſcopatus ad cumulum compenſaſſent. Deinde ſi ſeriò ſpectetur Lazarus, quis aliarum

Prouinciæ ciuitatum Epiſcopus cum eo componi poteſt? Erit-ne, in quo illuſtrius miraculum Chriſtus patrarit? In quo nobiliorem noſtræ Reſurrectionis arrham ſtatuerit? Aut in cuius domo familiarius conuixerit? Has ergo Maſſilienſis Cathedræ prærogatiuas, à quibus cauſæ victoria pendere videbatur, cùm tacuerit Proculus, manifeſtum indicium eſt, tunc temporis nondum eſſe natos, qui Magdalenæ nauem fabricarunt.

Deinde, ſi Lazarus, qui & amicus Chriſti dictus eſt, quíque eum tam frequenti hoſpitio excepit, primus fuit Maſſilienſium Epiſcopus, ſi Magdalena & Martha tot virtutes & miracula patrarũt, quot ex variis monimentis Gueſnæus refert; ſi tam ſtupenda fuit illorum in Prouinciam adnauigatio; quî fieri potuit, vt primos gentis ſuæ Apoſtolos & tales Apoſtolos ignoraſſent, aut nullo vnquam præconio extuliſſent Caſſianus tot piorum operum ſcriptor, Saluianus in libris de Prouidentia Dei & Eccleſia, Victor Maſſilienſis Rhetor, Eucherius Lugdunenſis, & Cæſarius Arelatenſis multarum de Sanctis Homiliarũ ſcriptores, aliíque tractatores, nec pauci Eccleſiarum magiſtri, qui de illa, vt loquitur Sidonius, *palæſtrâ congregationis eremitidis, ac de Senatu Lirinenſium Cellulanorum prodierunt?* Oblatam ſexcenties occaſionem quis negabit? Hæc autem res cùm Caſſiano, Saluiano, Victori, Eucherio, Cæſario, & aliis nunquam excidiſſet, Magdalenæ, Lazari & aliorum è Iudæa in Maſſiliæ portum enauigationem nunquam contigiſſe perſpicuum eſt.

Tertiò, veteres auctores, vt Gueſnæus fatetur,

valde boni, Beda, Vſuardus, Freculphus, & Ado Viennenſis ſiluerunt de Magdalenæ appulſu, & de aliis rebus benè multis, quæ in Diſquiſitione recenſentur. Sed inter alios Ado, qui Prouinciæ finitimus cùm eſſet, aduerſus illa omnia, ſilẽtio ſuo, vt veritatis compendio de poſteritate præſcripſit. Iam retulimus, quæ in Martyrologio, & in libello de feſtiuitatibus Apoſtolorum, de Magdalena, Martha & Lazaro dixit, vbi horum nauigationem vel aduentum in Prouinciam ne verbo quidem attigit, vbi attingendi locus eſſet ampliſſimus. Inter collectos vndecunque Paſſionum codices, quibus vſum ſe eſſe præfatur, deerant illa Marthæ & Magdalenæ geſta, quæ poſtea neſcio quis fabulator ſub nomine Marcellæ pediſſequæ fabricatus eſt.

Quartò, Maſſilienſis Eccleſia in antiquioribus faſtis nullum colit martyrem ante Victorem & ſocios, qui ſub Diocletiano Chriſtianam fidem ſuo ſanguine dedicarunt. At fieri quî potuit, vt à ſuſcepta religione nouem perſecutiones ſine vllo illuſtri martyrio effluxerint. Nónne primis illis Eccleſiæ ſæculis vbi plus viguit fides, ibi acerbior perſecutio graſſata eſt? Qui hoc ignorat, hoſpitem ſe in Eccleſiæ rebus atque peregrinum fateatur neceſſe eſt.

Hæc pauca de multis ſufficiant, vt planiſſimum fiat, Magdalenæ & aliorum in Prouinciam aduentum totos à Chriſto mille annos incognitum fuiſſe.

Ceterum has rationes, quas in Diſſertatione expoſueram, Gueſnæus diſſimulat, ſeu quia non habet, quod aptè reſpondeat, ſeu quia contrariis,

vt decet, momentis experiri non poteſt. Reſponſurum verò breui, ſed nihil probaturum audio neſcio quem de genere Sammaximinenſium, hoc eſt, eorum, qui Carolum II. Siciliæ regis Barcinone Narbonam diuinitùs aſportatum mentiti ſunt. Sed ei cuiuſlibet reſponſionis loco conſulimus, vt id ſollicitè expendat, quod Damianus præfatur in vitam ſancti Mauri Cæſenatis Epiſcopi: *Nonnulli ſe Deo deferre exiſtimant, ſi ad deferenda laudis eius inſignia, falſitatis argumenta componant, qui nimirum ſi egregij Prædicatoris verba diligenter attenderent, talia non ſentirent: Ait enim Corinthiis: ſi Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, vana eſt fides veſtra. Inuenimur autem & falſi teſtes Dei, quoniam teſtimonium diximus aduerſus Deum, quòd ſuſcitauerit Chriſtum, quem non ſuſcitauit. Secundum hæc ergo Apoſtolica verba falſus teſtis Dei meritò dicitur, qui indiſcretè eum cupiens laudare, mentitur, & aduerſus Deum proculdubio perhibet teſtimonium, quiſquis in eius laude peruerſa molitur arte commentum.*

Huius proculdubio criminis reus eſt, quicunque apud Vincentium Maximini, Magdalenæ & Marthæ geſta ſcripſit, ex quibus inter cetera quid referam, Chriſtianorum plures, quos Iudæi vexauerant, cum Maximino, Martha & Magdalena nauem conſcendiſſe, Trophimum Arelatenſem, Paulum Narbonenſem, Saturninum Toloſanum, Martialem Lemouicenſem, Eutropium Sanctonenſem, Iulianum Cenomanenſem, Auſtregiſilum Bituricenſem, Gatianum Turonenſem, Irenæum Lugdunenſem, Ferrucium Veſontionenſem, Eu-

tropium Arauſicum, Frontonem Petragoricenſem, Georgium Vellaunenſem, Dionyſium Pariſienſem, cui & in ipſa nauis conſcenſione tota Gallia commiſſa eſt? Quid memorem ſanctiſſimos homines, quos gens immanitate barbara propriis finibus expulit, omnes in Gallia caſtellis, villis, vrbibus, ampliſſimis Eccleſiis & opibus ditatos? quid Maſſiliæ Ducem & eius vxorem, quos Magdalena ad Chriſti religionem ſua prædicatione pellexit, quos ad inuiſenda ſacra Palæſtinæ loca ablegauit? Quid beatum Petrum, qui in medio nauigationis curſu Maſſiliæ Duci obuiam proceſſit, qui illũ de recenti vxoris in puerperio morte ſolatus eſt, qui futurum ſe reſidui itineris comitem promiſit, qui illum in Palæſtinam introduxit, & vbi demùm Chriſtus paſſus, mortuus, & ſepultus fuerat, humaniſſimè oſtendit? Quid defunctam Ducis vxorem, quæ Magdalenæ precibus ad vitam reuocata, non minus, quàm vir illius Dux Maſſiliæ, ſed per aliam omninò viam loca ſancta viſitatum iuit cum Magdalena? Quid mutuum viri & vxoris ſuper ſua peregrinatione colloquiũ? Quid dicam de infantulo, qui ad ſepultæ matris papillam applicatus ſic creuit, vt cùm pater rediret, filiolum cum aliis pueris ludentem inuenerit ad litus maris, vbi mater terræ mandata fuerat? Quid adducam vaſtantem omnia draconem, qui à Martha in manſuetudinem eruditus, & populo ad transfigendum traditus eſt, à quo deinceps locus, vbi voratrinam exercebat draco, nomen Tharaſconis accepit? quid exequias Marthæ, quas Chriſtus & ſanctus Fronto pſalmodię vacantes celebrarunt? quid Marcellam Marthæ pediſ-

ſequam, quæ poſt dominæ ſuæ mortem Illyricum perrexit, & ibi per decem annos Euangelium prædicauit, vnde poſtea corpus eius tranſlatum eſt Aquas Sextias, & iuxta beatæ Magdalenæ & Maximini corpora ſepultum? Quid denique expromam cetera, auribus animíſque abſurda, immo nec digna, quæ diſcutiantur vel riſu?

CAPVT DVODECIMVM.

Gueſnæus vulgarem Magdalenæ hiſtoriam defendens nonnihil peccat in Eccleſiam & Prouinciam.

EX his, quæ hactenus diſquiſiuimus, manifeſtũ eſt omninò, Gueſnæum nonnihil in Eccleſiam & Prouinciam non fortè per ſe, ſed κατ' συμβεβηκὸς peccare. Et primùm quidem in Eccleſiam peccat, cùm de Lazaro, Magdalena & Martha veræ traditioni tribuit, quod tribuendum non erat. Quæ enim à quingentis plus minus annis de tribus illis Sanctis inducta ſunt in quarundam Eccleſiarum Officia, traditionis nomen non merentur, immo veræ traditionis maieſtate damnantur. Neque verò quæcunque opinionis alicuius progreſſio æui auctoritate ſe tuetur, ſed ea tantùm, quæ quod ab initio poſteris traditum eſt, conſeruat. Qua in re oppidò fallitur Gueſnæus, qui quodcunque in quibuſcunque cuiuſlibet Eccleſiæ libris offendit, id citra vllum diſcrimen illius Eccleſiæ fidei & traditioni continuò adſcri-

bit, ſiue primis huius Eccleſiæ documentis conueniat, ſiue refragetur.

Deinde in Eccleſiam peccat, cùm eandem in ſubdititiorum Marthæ & Magdalenæ geſtorũ defenſionem oppignerat. quod eſt profectò Eccleſię lucem inobſcurare, & maieſtatem iis, qui ſeorſim à nobis per religionem ſentiũt, ridendam exponere. Sed ſiue conſilio, ſiue caſu id faciat, peræquè officit Eccleſiæ Dei, quæ ſemper in Conciliis ſtatuit, vt ſacra officia corrigerentur, in quibus quid alienum à veritate reperiretur. Hoc ipſum anno 1551. ſtatuerunt & ipſi Dominicani, quorum nonnullos ille defendit. Sed Gueſnæus patienter audiat reformandi Breuiarij cauſam, quæ à Capitulo generali in præfatione eiuſdem Venetiis editi anno 1556. ſic exponitur: *Quia multis ſupernacaneis, & appoſititiis Miſſis, & Officiis nunquam per Patres Ordinis comprobatis, & hiſtoriis ſeu geſtis Sanctorum apocryphis, & minus nonnunquam veroſimilibus ſcateret.* Ob hanc ſinceritatem Prædicatores vehementer laudo, vehementiúſque laudarem, ſi in Officio beatæ Marthæ, non ea tantùm, quæ ſtupidiſſimo cuique videbantur ridicula, expunxiſſent, verùm & cetera, quæ licet minus abſurda ſint, non minus tamen à vero & antiquis traditionibus abhorrent. Non enim ſufficit, vt quæ in Eccleſiaſticis Officiis dicuntur, abſurda non ſint, ſed inſuper neceſſarium eſt, vt veritate nitantur.

Quod cùm animaduertiſſent, qui primi ſub Pio V Romanum Breuiarium reformarunt, nihil ex his Marthæ geſtis retinendum cenſuerunt, quamuis ſub Paulo III. in compendium redacta.

minùs fabuloſa viderentur. At ſi Correctoribus illis laus detur, quòd, vt ait Pius, *incerta & aliena remouerint*, alij commendari nequeunt, qui ſublata illa è Breuiario geſta non multo pòſt tempore reſtituerunt.

Denique Gueſnæus in Prouinciam peccat, cùm illam à fabuloſis quibuſdam hiſtoriis commendat. Si enim Prouincia laudanda eſt, ex veris non ex falſis laudanda eſt. Et verò licèt hîc de laudibus Prouinciæ locus agendi non ſit, dicam tamen, eam habere Chriſtianæ religionis ornamenta, quæ nulli Galliarum nationi conueniant. Quid referam Concilium Arelatéſe primum, quo ſecundum œcumenica nullum eſt illuſtrius? Quid alia Arelatenſia, quid Carpentoractenſe, quid Vaſenſia, quid Arauſicana Concilia, quorum canones, vt diuina oracula ad ceteras Prouincias manarunt? Quid memorem Victorem Maſſilienſium martyrum decus, quid Caſſianũ, quid Saluianum, & Honoratum Maſſilienſes Epiſcopos? Quid recenſebo Marinum Arelatenſem, Herotam, Hilarium, Cæſarium, Auxanium, & alios, quibus Romani Pontifices ſuas identidem in Galliis vices delegarunt? Quid dicam de plana Inſula, quæ Epiſcoporum Galliæ ſeminarium fuit ampliſſimum, quæque tandem innumerabiles montes ad cælum miſit? Ex his igitur comparanda eſt Prouinciæ Panegyris, non ex fabulis, quas de noſtris Sanctis obſcuri nugatores in exitium veritatis & priſcæ traditionis inuexerunt. Huic operi vacaſſet Gueſnæus, ſi citiùs arti oratoriæ, quàm veteratoriæ locum in Diſquiſitione ſua dediſſet. *Ego verum amo*, ait ille, *verum nolo mihi dici, mendacem odi.*

CAPVT VLTIMVM.

De antiquitate Chriſtiana Galliæ Gueſnaus diſcat ex ſuis auctoribus, iiſque illuſtrioribus ſapere, vel rumpatur.

TRES ſunt ex ſuis nobiliſſimi ſcriptores, Bellarminus, Petauius, Sirmondus, quorum ſtudio dedere ſe debuit Ioannes Baptiſta Gueſnay, cùm de antiquitate ſuſceptæ in Prouincia & aliis Galliæ partibus fidei diſſeruit. Nunc operæpretium duco, illorum teſtimonia breuiter referre, vt ex iis accuratè perpenſis videat, quantum ab iudicioſorum hominum ſententia diſtet, tum ſapiat in poſterum, vel rumpatur.

Robertus igitur Bellarminus Cardinalis in lib. de Eccleſiaſticis ſcriptoribus, vbi Martialis epiſtolas examinat, ſic de tempore ſuſceptæ apud Gallos fidei ſentit: *Sextò,* inquit, *in epiſtola eadem* (ſecunda) *cap.* 8. *dicit Valeriam quandam in ipſa Gallia martyrio coronatam. Id verò repugnat Sulpitio libro* 2. *ſacræ Hiſtoriæ, & Gregorio Turonico lib.* 1. *cap.* 28. *Hiſtoriæ Francorum, qui ſcribunt, temporibus M. Antonini primũ intra Gallias martyria viſa.* Hæc ille, qui quanquam in hoc auctore nonnulla cauenda notauit, ſummam tamen illi fidem habuit in iis, quæ ad Gallicanæ religionis incunabula, & prima noſtrorum martyria ſpectant. Tantum abeſt, vt Seuerum reiiciat iudicio recentiorum ſcriptorum, quos ætas & ſcientia à ſe-

rendo contra ipſum teſtimonio legitimè prohibent. Quæ enim lex permittit, vt vnius aut alterius diei infans aduerſus maturioris ætatis hominem teſtimonium ferat? Deinde non excurrit in omnes Gregorij Turonici libros, vt inde quibuſdam animaduerſis in ſerie temporum vel in expoſitione rerum geſtarum erroribus, ſtatim concludat, Gregorium non apprimè nouiſſe, quæ fuerit prima Gallicanorum martyrum epocha; & ſic fidem tribuat epiſtolæ, quæ nullam meretur. Intelligebat quippe vir prudens, hunc laborem deciſioni propoſitæ quæſtionis non inutilem modò, ſed & rem peſſimi exempli eſſe, ſi ad Theologicorum dogmatum tractationem transferatur, vti transferri facilè poteſt. Iſtud ſignificauimus in Diſcuſſione Reſponſionis ad Diſſertationem de duobus Dionyſiis cap. 4. num. 2. ſed de hoc peſtilentiſſimæ ſcriptionis genere, quod monachi quidam in exitium antiquitatis inuehunt, fortaſſis aliquando recurret diſſerendi locus.

Dionyſius Petauius idem cum Bellarmino ſentit lib. 5. cap. 9. partis primæ Rationarij temporum, quod Pariſiis non ſemel editum eſt: *Aniceto, inquit, ſubrogatus eſt Eleutherus anno circiter M. Aurelij 17. quãdo in Galliis ferali Imperatorum edicto, Chriſtiani complures occiſi ſunt: inter quos Lugdunenſes martyres excelluerunt, præſertim Photinus Epiſcopus, Attalus, Alexander Medicus, Blandina. Ac tum primùm (ait Seuerus) intra Gallias martyria viſa. ſeriùs trans Alpes Dei religione ſuſcepta.* Idem infrà cap. 13. *Eodem imperante Decio, eiuſque anno primo, vel ſecundo, Chriſti 250. hoc eſt, Decio & Grato Conſulibus, ait*

Gregorius Turonenſis ſanctum Saturninum Toloſæ Epiſcopatum iniiſſe, cum eóque miſſos eſſe Gatianum Turonorum, Dionyſium Pariſienſium Epiſcopum. Hæc ille, in cuius Rationario de vindicatis à Gueſnæo otioſorum hominum commentis reperies nihil. Non quòd ea vir doctiſſimus ignorarit, ſed quòd nulla vel mentione vel refutatione digna iudicarit. Deinde ſuo etiam ſilentio, quod hac in re eloquentiſſimum eſt, præterit, quicquid Milleti monachi vindices in Seuerum deblaterant, vt deſtructa veritate, ædificent ea, quæ obſcuri homines *ex falſo compoſuerunt, vel quæ de ambiguitate cœperunt.* Tertulliani verba ſunt, quibus non multum diſſimilis quoad hoc ingenij ſcriptores inſectatur.

Iacobus Sirmondus in Diſſert. de duob. Dion. idem cùm aliis & ſentit & probat: *Grauem, inquit, & manifeſtum contra ſe teſtem habent, qui Dionyſium Pariſienſem ab Areopagita non diſtinguunt, Sulpicium Seuerum rerum noſtrarum auctorem peritiſſimum, nec ſine cauſa, vt hoc telum excutiant, neruos omnes, ſed fruſtra contendunt. Diſertis enim verbis Seuerus lib. 2. ſacræ hiſtoriæ perſecutionem illam commemorans, qua Antonini Veri temporibus Lugdunenſem Eccleſiam, & Viennenſem duodequinquaginta martyrum ſanguine illuſtrauit, martyres ante id tempus in Gallia nullos fuiſſe teſtatus eſt: ſub Aurelio, inquit, Antonini filio perſecutio quinta agitata, ac tum primùm intra Gallias martyria viſa, ſeriùs trans Alpes Dei religione ſuſcepta. Iugulum his verbis ſuæ cauſæ peti ſentiunt Areopagitici. Nam ſi martyres Gallia M. Aurelio antiquiores nullos habuit, & Dionyſium*

Pariſienſem in Gallia paſſum nemo neſcit, liquet profectò diuerſum ac poſteriorem Areopagita fuiſſe. & poſt alia: *At errare, inquiunt, Seuerum, falſique certum eſt, dum primos Galliæ martyres ſub M. Antonino, & ſeriùs apud nos ſuſceptam Chriſti fidem putat, cùm ab ipſis Eccleſiæ incunabulis & Epiſcopos & martyres in Gallia, eóſque vel Apoſtolorum vel Chriſti ipſius diſcipulos extitiſſe compertum ſit, apud Remos Sixtum, apud Senonas Sabinianum & Potentianum, Creſcentem Viennæ, Paulum Narbonæ, Trophimum Arelate, Martialem apud Lemonicas, aliis in locis alios, ante omnes verò Maſſiliæ cum Magdalena Lazarum & Maximinum, in quo quidem quòd fucum nobis in hac enumeratione facere nitantur, non queror. Quippe qui cùm in omni iudicio teſtes, de quibus conueniat, proferri debere non ignorent, eos obtrudant, de quibus non minor eſt, quàm de Dionyſio ipſo controuerſia.* & poſt alia: *De Maria porro Magdalena quid doces? Sub annum Chriſti 35. imperante Tiberio Maſſilienſes, inquis, orientem Chriſtianæ fidei ſolem in Lazaro ſuo deinde Epiſcopo, Aquenſes in Maximino, & circumiectæ gentes in vtroque ſuſpexerunt, ſuſceperúntque. Hoc verò iam non contra vos tantùm ſcribitis: ſed ni fallor contra literas ſacras. Nam ſi anno Chriſti 35. Maſſilienſibus Euangelium, vt vobis placet, promulgatum eſt, quî poteſt verum videri, quod ſexto minimum pòſt anno primitias fidei gentium in Cornelio dedicatas ex Apoſtolica hiſtoria didicimus? Si Maſſilienſes ad Chriſti fidem iam vocatos ſciebat Petrus (ignorare enim potuiſſe opinor, non dices) cur vt Cæſaream ad Cornelium pergeret, diuino viſo, ac reſpon-*

ſo excitandus & animandus fuit? Si ante Cornelium conceſſa Nationibus fuerat hæc gratia; cur Diſcipulos Chriſti, poſt Stephani lapidationem diſperſos, auctor eſt Lucas diuerſas prouincias perambulaſſe, nemini loquentes verbum, niſi ſolis Iudæis. Poſt Cornelij verò baptiſmum, quaſi patefacto ad gentium conuerſionem oſtio, datóque ſigno, Antiochiam introiſſe, Chriſtúmque gentibus annuntiaſſe? Vide quas te in ſalebras impugnandi Seueri ſtudium impulerit. Et tamen fabulæ coronidem imponere non dubitas: ita traditio Eccleſiæ Gallicanæ. Apage mihi fictitias traditiones iſtas, quæ niſi ſubuerſis literis ſacris defendi non poſſint. Quantò conſultius erat ſi Seueri aſſertioni fides quærebatur, omiſſis ambiguis friuolíſque narrationibus, veterum Eccleſiarum, in quibus martyriorum erecta ſunt trophæa, ſcrinia excutere, Annales & Calendaria euoluere, atque in his quo quemque anno, quo principe paſſum notent, obſeruare. &c cetera, quibus vir cùm in aliis, tum in his quoque ſtudiis verſatiſſimus Seueri auctoritatem confirmat. At certè Sirmondi ſchola ſi Gueſnæum aluiſſet, nunc fabuloſiſſimo poſt hominum memoriam libro Chriſtianus orbis vtiliſſimè careret. Ergo Gueſnæus, ſi velit, nouum commentarium edat in illud ſcripturæ: *In ore duorum aut trium ſtat omne verbum*, & refluas auctorum omnium in hunc titulum ſententias libro complectatur.

Tribus iſtis auctoribus duos adiungo extrà quàm eruditos, qui in hac materia facem aliis prætulerunt: Vnus eſt Nicolaus Faber Ludouici XIII. Præceptor, in ſchediaſmate de beato Dionyſio: *Beatum Dionyſium Epiſcopum Pariſienſem*

eundem fuiſſe, qui in Areopago à beato Paulo Apoſtolo cum vxore ad Chriſti fidem conuerſus eſt, nemo ante Caroli Magni tempora & Ludouici Imperatoris eius filij, ſcriptis, quæ ad nos peruenerint, aſſeruit. Immo verò omnes cõtrà ſenſerunt. Seuerus Sulpitius non ille Bituricenſis Archiepiſcopus, qui Sulpicus Seuerus vocatus eſt, vixítque circa annum Domini 587. ſed Primuliacenſis Preſbyter beati Martini Diſcipulus, cuius etiam vitam elegantiſſimè deſcripſit, & circa annum Chriſti 400. floruit, teſtis eſt, perſecutione demum quinta martyria in Galliis viſa fuiſſe, ſeriùs trans Alpes Dei religione ſuſcepta. & poſt alia: *Gregorius Turonenſis Epiſcopus diligentiſſimus hiſtoriæ noſtræ ſcriptor & antiquiſſimus ex hiſtoria martyrij ſancti Saturnini tradit, Dionyſium Epiſcopum Pariſienſem veniſſe in Gallias Decio ſecundùm & Grato Coſſ. Lutetiaque Epiſcopum factum, grauiſſimis vexatum ſuppliciis, gladio vitam finiuiſſe.* Hæc ille vir omni commendatione maior.

Alter eſt Pithœus vir quoque clariſſimus in præfatione ad Saluianum: *Quid eſt,* quæſo, *quod Galliæ ceteris Orbis regionibus inuideant? Scripſerit vtique Sulpitius trans Alpes Dei religionem ſeriùs viſam. Eccleſiarum tamen in Celtis apud Irenæum mentio, atque ille ipſe iam noſter factus Irenæus, & Vetij & Epagathi, martyrúmque Lugdunenſium celebratiſſimæ etiam apud Græcos memoriæ, quos iam tunc progreſſus ſacroſancta fides apud nos feciſſet, ſatis oſtendunt.* Hæc ille, in quibus Seuero Irenæum non opponit, quaſi de temporibus ſuſceptæ intra Gallias religionis diſſenſerint inter ſe, ſed potiùs docet tardiorem religionis prædi-

cationem, multitudine conuerſorum & martyrum ſplendore compenſatam fuiſſe. Hoc eo conſilio ſcripſiſſe Pithœum apparet, tum quia Lugdunenſibus martyribus antiquiorem nullum laudat, cùm tamen ſatis nouerit nonnullos potuiſſe laudari, ſed quorũ epocham falſam vel incertam reputabat; tum etiam quia Lugdunenſium martyrũ memoriam inter Grȩcos celebratam ait. Hȩc dicta ſint de Chriſtiana Galliæ antiquitate, quam quinque illi viri in paucis nominatiſſimi dedita opera ex Seuero & Gregorio aſſeruerunt, & ſua auctoritate præſcripſerunt aduerſus quoſdam malè feriatos, qui Seueri & Gregorij hominum de Eccleſia benè meritorum hiſtorias modò ad vaſtitatem vocare meditantur. Sed miſſis iis, qui in perſona Seueri & Gregorij ſanctos Patres à ferendo de re qualibet teſtimonio prohibendi methodum conficiunt, Gueſnæus ſolum audiat Lactantium lib. 2. Inſtitutionum cap. 20. *Quis neſciat, plus eſſe momenti in paucioribus doctis, quàm in pluribus imperitis?*

FINIS.

MAGDALENÆ VIZELIACENSIS MONVMENTA.

1. LVCIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorũ Dei dilectis filiis G. Abbati, & Fratribus Vizeliacenſibus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Fratres noſtri Epiſcopi & Cardinales nos ſuppliciter & deuotè rogarunt, vt Monaſterium veſtrum pro reuerentia beatæ* MARIÆ MAGDALENÆ, CVIVS IBI CORPVS QVIESCIT, *largitionis noſtræ ſtuderemus munere decorare, vt ex hoc magis apud homines celebre fieret, & maioris venerationis in poſterum haberetur. Vt igitur de largitione gratiæ Apoſtolicæ Sedis valeat ampliùs gloriari, & in maiori apud homines veneratione haberi, tibi fili Abbas, tuiſque ſucceſſoribus, vſum mitræ de conſueta benignitate Apoſtolicæ Sedis concedimus, & vt ea in præcipuis ſolemnitatibus, & proceſſionibus Monaſterij, in Conciliis Romanorum Pontificum, in Conſeſſu Epiſcoporum, & mortuorum exequiis liberè vti poſſitis, clementiùs indulgemus. Datum Laterani Id. Ianuarij.* Lucius II. moritur 1189. Ordo verò Prædicatorum inſtituitur 1204. & 1216. approbatur.

2. *Vrbanus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Abbati & Conuentui ſanctæ Mariæ Magdalenæ Vizeliacenſis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ad Eccleſiaſtici decoris augmentum inſignia reperta ſunt dignitatum, quæ Sacroſancta Romana Eccleſia congrua in ſingulos liberalitate diſtribuit, & deuotis filiis, prout dignum indicat, ſuſcipienda pariter, & obtinenda concedit, vnde nos pro*

reuerentia beatæ MARIÆ MAGDALENÆ, CVIVS SACRVM CORPVS IN VESTRA ECCLESIA REQVIESCIT, *& veſtræ deuotionis merito prouocati vſum mitræ, chirothecarum & annuli, tibi fili Abbas, tuiſque ſucceſſoribus indulgemus, & auctoritate Apoſtolica confirmamus. Nulli ergo, &c. Datum Veronæ* 3. *Non. Iulij.*

3. *Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Girardo, & Conuentui Vizeliacenſi Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ad Eccleſiaſtici decoris augmentum inſignia reperta ſunt dignitatum, quæ Sacroſancta Romana Eccleſia congrua in ſingulos liberalitate diſtribuit, & deuotis filiis, prout dignum iudicat, ſuſcipienda pariter, & obtinenda concedit; vnde nos pro reuerentia beatæ* MARIÆ MAGDALENÆ, CVIVS SACRVM CORPVS IN VESTRA ECCLESIA REQVIESCIT, *& veſtræ deuotionis merito prouocati, vſum ſandaliorum, tibi fili Abbas, tuiſque ſucceſſoribus infra tuas Eccleſias indulgemus, & auctoritate Apoſtolica confirmamus. Nulli ergo, &c. Datum Piſis* 15. *Calend. Februarij indictione* 6.

4. Innocentius tertius lib. 1. Epiſtolarum Decretalium Epiſtola ad Gerardum Abbatem Vizeliacenſem: *Liceat inſuper, ſicut à benignitate Sedis Apoſtolicæ inſtantiùs poſtulaſtis, vt tam in ſolemnitate, quàm in* TRANSLATIONE BEATÆ MARIÆ MAGDALENÆ *infra quadrageſimam annis ſingulis celebratis, ad gloriam Dei, & laudem, ob ſolemnitatis ipſius reuerentiam, Gloria in excelſis Deo, ad Miſſas de feſtiuitate ipſius in Monaſteriis veſtris ſolemniter decantatis. Nulli ergo, &c. Datum apud ſanctum Petrum.*

Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei di-

lectis filiis Abbati, & Conuentui Vizeliacenſi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Licet is, de cuius munere venit, vt ſibi à fidelibus ſuis dignè ac laudabiliter ſeruiatur, multò eis maiora retribuat, quàm valeant promereri, deſiderantes tamen reddere Domino populum acceptabilem, ipſos ad benè ſeruiendum ei, quaſi quibuſdam illectiuis muneribus, Indulgẽtiis ſcilicet, & Remiſſionibus inuitamus. Cupientes igitur, vt Monaſterium veſtrum, vbi venerandum CORPVS BEATÆ MARIÆ MAGDALENÆ INNVMERIS CORVSCANS MIRACVLIS *ſub celebri cuſtodia venerabiliter conſeruatur, congruis debeat honoribus frequentari, omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui ad Monaſterium ipſum in ſolemnitate ipſius ſanctiſſimæ Dominæ, ac octo diebus ſequentibus cauſa deuotionis acceſſerint annuatim, de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, quadraginta dies de iniuncta eis pœnitentia annis ſingulis miſericorditer relaxamus. Datum apud S. Stephanum nonis Nouembris Pontificatus noſtri anno 2.*

Vniuerſis Chriſti fidelibus, quibus præſentes literas videre contigerit, Ingo Decanus, totúmque Lutoſenſis Eccleſiæ Capitulum, & vniuerſus eiuſdem loci Conuentus perpetuam in Domino ſalutem. Præſentium teſtimonio notum facimus vniuerſis, quòd os illud, quod per venerabilem Patrem Dominum noſtrum Godefridum, Dei gratia Cameracenſem Epiſcopum, Abbati & Conuentui Vizeliacenſis Eccleſiæ, ad inſtantiam ipſius & preces tranſmiſimus, extat ſine dubio de reliquiis beati Badilonis, quondam Eccleſiæ noſtræ Abbatis, qui etiam venerandum corpus beatæ Mariæ Magdalenæ in Eccleſia Vizeliacenſi

quondam dicitur attuliſſe. Nos ad maiorem rei certitudinem fecimus os præfatum memorati Confeſſoris in loco quodam mundo ſub ſigillo noſtro firmiter intercludi, & præſentes literas eiuſdem ſigilli impreſſione muniri. Actum in Eccleſia Lutoſenſi anno Dominicæ Incarnationis 1221. Calend. Iunij.

Vniuerſis preſentes literas inſpecturis Guido de Melloto diuina miſeratione Autiſiodorenſis, & Petrus eiuſdem miſeratione Paneadenſis Epiſcopi ſalutem in Domino. Cùm publicè diceretur, & ferè ab omnibus Chriſti fidelibus notitiam loci Vizeliacenſis habentibus crederetur, quòd corpus glorioſiſſimæ Mariæ Magdalenæ requieſceret in Monaſterio Vizeliacenſi, quidam tamen, an ibi requieſceret, hæſitarent, religioſi viri Ioannes humilis Abbas ac Conuentus monaſterij eiuſdem pro firmo tenentes, quòd in ipſo monaſterio requieſceret corpus glorioſiſſimæ peccatricis, & omnem ſcrupulum hæſitationis de fidelium mentibus amputare volentes, vt ad dictum monaſterium veniremus, ad exquirendam huius rei rectitudinem, & probandam nobis humiliter ſupplicarent. Nos verò deuotis ipſorum petitionibus annuentes anno Domini 1265. die Dominica ante feſtum beati Dionyſij, ad dictum Vizeliacenſe venimus, & ipſa nocte per matutinas cum Conuentu perſonaliter ad locum acceſſimus, in quo dictum corpus glorioſiſſimum requieſcere dicebatur, & circumfodientes ibidem quoddam vas nobile æneum, ſeu metallinum, quadratum, & longum in quodam loco ſubtus magnum altare deuotiſſimè inuenimus, & in dicto vaſe quaſdam venerandas reliquias cum magna veneratione repoſitas, & in duobus pannis ſericis inuolutas, & erat ibidem copia muliebrium capillorum;

Quas quidem ſanctas reliquias eſſe corpus beatiſſimæ Magdalenæ manifeſtè declaratur ex teſtimonio literarum illuſtriſſimi Regis quondam Caroli cum iiſdem reliquiis inuentarum, quarum tenor talis eſt: In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Carolus Dei gratia Rex. Regalis celſitudinis mos eſt, vt nos iuſtorum ſupplicationibus annuendo ea, quæ futurorum commendanda ſunt memoriæ, manus noſtræ propria ſubſcriptione firmemus, & annuli noſtri impreſſione ſignemus. Idcirco nouerit experientia & induſtria omnium fidelium, quod in hoc ſacro loculo reconditum eſt ſacrum corpus beatiſſimæ Mariæ Magdalenæ. Signum Caroli glorioſiſſimi Regis. Dictas verò reliquias lætanter inuoluimus, & cum magna circunſtantium pietate, gaudio, & multitudine lacrymarum diligenter inſpeximus, & poſtmodum deuotè adorauimus, ſuperadditis quibuſdam linteamine, & alio panno, ne propter vetuſtatem pannorum ſericorum de corpore tam glorioſiſſimæ, ſeu de tam venerandis reliquiis aliquid deperiret. Quibus taliter inuolutis, ac etiam ligatis à nobis, ſigilla noſtra ibidem appoſuimus cum ſigillo religioſi viri Guerrici Abbatis S. Mariani Autiſiodorenſis, & venerabilis viri Magiſtri Petri Præcentoris Senonenſis, ac huiuſmodi venerandas reliquias cum dictis litteris ibidem repertis, in dicto vaſe repoſuimus, ſupra idem vas: Nos Autiſiodorenſis Epiſcopus ſignum noſtrum antè & retrò: Nos Paneadenſis Epiſcopus, & dictus Abbas S. Mariani Autiſiodorenſis ſigna noſtra nihilominus apponentes, ideóque vas iuxta locum ſuum priſtinum reponentes, ac eundem vt priùs fuerat, obturantes. In huius autem rei teſtimonium & certitudinem, ſigilla noſtra præſentibus literis duximus ap-

ponenda. Datum & actum anno Domini prædicto die Lunæ poſt Dominicam ſupradictam.

Quibus ſic peractis, prædicti Domini Epiſcopus & Abbas prælibatam ſanctarum reliquiarum inuentionem piiſſimo ac ſanctiſſimo Regi beatiſſimo Ludouico tunc temporis regnanti perſonaliter nuntiauerunt. Qui quidem beatiſſimus Rex glorificans Deum ex eo quod ſuis temporibus præfatæ ſanctiſſimæ reliquiæ fuerant inuentæ, diem ſtatuit, & ordinauit, videlicet vigiliam beati Marci Euangeliſtæ anno Domini 1267. vnà cum reuerendiſſimo Patre ac Domino Domino Simone Cardinali, tunc in Francia Apoſtolicæ Sedis Legato, ad præfatas ſanctiſſimas reliquias ſolemniter releuandas, ad quam viam ipſe piiſſimus, & beatiſſimus Rex vnà cum prædicto Legato perſonaliter præſens fuit, cum multis proceribus, vt ſequitur, anno Domini 1267. ſeptimo Calendas Maij. [In vigilia beati Marci Euangeliſtæ poſitum fuit in capſa corpus ſacratiſſimum beatiſſimæ Mariæ Magdalenæ in præſentia Domini Simonis tituli ſanctæ Cæciliæ Preſbyteri Cardinalis, tunc Apoſtolicæ Sedis Legati in Francia; Domini Guidonis de Melloto Epiſcopi Autiſiodorenſis, & Domini Ioannis Autiſiodorenſis tunc temporis Abbatis Vizeliacenſis, & in præſentia Domini Alphonſi Comitis Pictauenſis fratris ſupradicti Regis, & in præſentia Domini Theobaldi Regis Nauarræ, & Comitis Campaniæ, & in præſentia trium filiorum prænominati Regis, videlicet Domini Philippi Maioris, & Domini Ioannis Comitis Niuernenſis, & Domini Petri, & in præſentia Domini Hugonis Ducis

Burgundiæ, & in præſentia Domini Alphonſi Comitis d'Eu, & in præſentia Domini Gerardi Abbatis ſancti Germani Pariſienſis, & in præſentia Magiſtri Gaudrici, cum multitudine fidelium, tam prælatorum, nobilium, & populorum numeroſa.] Tunc ſequitur forma literarum teſtimonialium præfati piiſſimi ac ſanctiſſimi, & beatiſſimi Regis Ludouici, in hæc verba:

Ludouicus Dei gratia Francorum Rex, dilectis ſibi in Chriſto Abbati, & Conuentui Vizeliacenſi ſalutem, & ſinceram in Domino caritatem. Mittimus vobis per dilectum & fidelem Clericum noſtrum Magiſtrum Geraldum Archidiaconum in Eccleſia Pariſienſi, latorem præſentium, pretioſum brachium beatiſſimæ Mariæ Magdalenæ, & genam ipſius vnà cum tribus dentibus, quæ in octauis Paſchæ vltimò præteriti cùm nos ſolemniter eiuſdem beatiſſimæ Mariæ tranſlationi interfuimus, nobis apud Vizeliacum tradidiſtis, quæ quidem ob ſpecialem deuotionem, quam nos & cuncti fideles habere debemus ad ipſam, in vaſculis aureis, & variis lapidibus pretioſis ornatis, brachium videlicet in vaſculo facto ad modum brachij vna cum manu; genam verò in alio vaſculo, quod ab Angelo argenteo deaurato inter manus tenetur, fecimus honorificè collocari, vobis & veſtræ Eccleſiæ ex parte noſtra per dictum Archidiaconum præſentanda, in præſentia venerandi Patris Simonis tit. Sanctæ Cæciliæ Preſbyteri Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legati, cauſa viſitationis veſtram Eccleſiam adeuntis. Verùm cùm vos de ſacratiſſimo corpore prædictæ Beatæ Magdalenæ, cùm ipſius tranſlationi, vt prædictum eſt, interfuimus, portionem bonam nobis liberaliter dediſſetis, ex quo vobis grates referimus

copioſas; nos liberalitatem veſtram huiuſmodi attendentes, veſtram quoque Eccleſiam venerando decorare volentes exunio, de ſacratiſſimis reliquiis noſtris, quas iam dudum recipimus de Imperij Conſtantinopolitani theſauro, vobis tranſmiſimus, de pretioſo videlicet ligno dominico, duas de ſpinis ſacratiſſimæ coronæ Domini; de pannis infantiæ Saluatoris, de ipſius ſudario, de veſte purpurea, in qua fuit illuſus, & de linteo, quo fuit præcinctus, quando pedes diſcipulorum ſuorum exterſit in cœna: quas quidem reliquias fecimus in manus brachij ſupradicti reponi. Congruum enim viſum eſt nobis, quòd huiuſmodi reliquiæ Redemptoris ponerentur cum reliquiis illius ſanctiſſimæ mulieris, quæ tam ardenter dilexit eundem, & ab eo tam largam ſuorum recipere meruit veniam delictorum: à qua etiam ipſe tam familiariter ſe tangi permiſit. Rogamus igitur dilectionem veſtram, quatenus huiuſmodi tam ſanctas, támque venerandas reliquias cum debito ſuſcipientes honore, & ipſas cum ea veneratione, qua decet, conſeruare cauentes, ne prædicta vaſcula, ac lapides pretioſi ad ornatum eorum appoſiti alienentur in poſterum, ſeu etiam diſtrahantur. Cæterum vos vt veſtris orationibus, ac beneficis noſtri, noſtrorúmque ſpecialem perpetuò memoriam habere velitis. In cuius rei teſtimonium præſentibus literis noſtrum fecimus apponi ſigillum, anno Domini 1267. menſe Iulio.

Simon miſeratione diuina tit. ſanctæ Cæciliæ Preſbyter Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legatus, ad æternam rei memoriam. Sanctuarium pretioſum, quod his diebus chariſſimus Princeps Ludouicus Rex Francorum illuſtris monaſterio Vizeliacenſi ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinenti, Ordinis ſancti Be-

nedicti, Æduenſis Diœceſis, per diſcretum virum Geraldum Archidiaconum in Eccleſia Pariſienſi tranſmiſit, & quod idem Archidiaconus in noſtra, & cleri & populi præſentia, religioſis viris Abbati, & Conuentui eiuſdem monaſterij, ex parte ipſius Regis præſentauit, & dedit, videlicet os brachij beatæ Mariæ Magdalenæ collocatum in vaſculo aureo ad modum brachij facto, ornato decem & octo Rubinis, quorum plures ſunt optimi, & reliqui ſunt balas, viginti & nouem Smaragdis, tredecim Sapphiris Orientalibus, & triginta duabus margaritis groſſis, partem etiam ligni veræ crucis, & pannorum infantiæ Saluatoris, ac purpuræ, in qua fuit illuſus, necnon balthei, quo præcinctus extitit, cùm lauit pedes diſcipulorum, & duas ſpinas de vera corona, qua in ſua paſſione extitit coronatus, in manu ipſius brachij ſituatas, genam quoque ipſius Sanctæ cum tribus dentibus repoſitam in quodam vaſculo argenteo deaurato, quod Angelus argenteus deauratus, ornatus quatuor Merinis balas, & totidem Sapphiris, & octo Smaragdis tenet in manibus, intactum permanere volentes, & ad deuotionem perpetuam eidem monaſterio integraliter conſeruari, auctoritate qua fungimur, diſtrictiùs inhibemus, nequis tantum Sanctuarium, ſeu prædicta vaſa, vel eorum partem, aut aliquem de prædictis lapidibus vendere, minuere, vel mutare, donare, impignorare, detrahere, vel ſcienter vendere præſumpſerit, excommunicationis ſententiam proferentes; ordinantes etiam, ac ſtatuentes, & in virtute obedientiæ prædictis Abbati, & Conuentui diſtrictè præcipiendo mandantes, vt ſemel annuatim in Capitulo Generali perſonarum ſupradicti monaſterij inhibitionem, & excommunicatio-

nem huiuſmodi publicè legi, & diligenter exponi faciant, ac ſolemniter publicari. Datum apud Clameriacum quinto Idus Auguſti, Pontificatus Domini Clementis Papæ quarti anno tertio.

Simon miſeratione diuina tit. ſanctæ Cæciliæ Preſbyter Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legatus, religioſis viris Abbati, & Conuentui monaſtery Vizeliacenſis ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, Ordinis ſancti Benedicti, Æduenſis Diœceſis ſalutem, & ſinceram in Domino caritatem. Sanctorum meritis inclyta gaudia fideles aſſequi minimè dubitamus, qui per condigna deuotionis obſequia eorum patrocinia, eámque veneramur in illis, quorum gloria ipſe eſt, & retributio meritorum. Cauſam itaque dare populis deuotis ad promerenda ſempiterna gaudia cupientes, omnibus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui in ſingulis quatuor feſtiuitatibus, quæ de beata Maria Magdalena in Eccleſia veſtra, IN QVA EIVS CORPVS REQVIESCIT, *annis ſingulis celebrantur, cum deuotione, ac reuerentia viſitauerint annuatim, ibidem ſuorum peccatorum veniam à miſericordiarum Domino petentibus, de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ac ea, qua fungimur, auctoritate confiſi, centum dies de iniunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Datum apud Clameriacum tertio Idus Auguſti, Pontificatus Domini Clementis Papæ quarti anno tertio.*

Nicolaus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Abbati & Conuentui Monaſtery Vizeliacenſis ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, Ordinis S. Benedicti Æduenſis Diœceſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Splendor paternæ glo-

riæ, qui ſua mundum illuminat ineffabili claritate pia vota fidelium de clementiſſima ipſius maieſtate ſperantium, tunc præcipuè benigno fauore proſequitur, cùm deuota ipſorum humilitas Sanctorum precibus & meritis adiuuatur. Cupientes igitur, vt Eccleſia monaſterij veſtri, in qua corpus beatæ Mariæ Magdalenæ, cuius eſt inſignita vocabulo, requieſcit, & ibi ob ipſius Magdalenæ merita, multa virtutum miracula Dominus operatur, à fidelium populis ad implorandum eiuſdem Magdalenæ & aliorum Sanctorum ſuffragia congruis honoribus frequentetur, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui Eccleſiam ipſam in feſtiuitate prædictæ Magdalenæ, & tranſlationis & tranſmutationis corporis eiuſdem in eodem monaſterio ſolemnitatibus, & vſque ad octo dies feſtiuitatem, & ſolemnitates ipſius immediatè ſequentes venerabiliter viſitauerint annuatim, omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi vnum annum & quadraginta dies de iniunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Datum Reate 15. Calēdas Octob. Pontificatus noſtri anno 2. hoc eſt Chriſti 1279. quo Sammaximinenſes Magdalenæ ſuę corpus inuenerunt menſe Decēb.

Martinus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri Archiepiſcopo, & dilectis filiis Decano, & Capitulo Senonenſi. Tranſlationem Sanctorum corporum, quam in Catholica Eccleſia Chriſtianus cultus exequitur, ſub quodam typo myſterij præfiguraſſe videtur ille filius accreſcens, & decorus aſpectu, qui de hoc ſæculo tranſiturus fratribus veridica prædicatione promittens, quòd ipſos Dominus poſt eius obitum viſitaret, & ad terram promiſſionis aſcende-

re faceret ex Ægypto, adiurauit eoſdem, vt de illo loco eius oſſa ſecum portarent, huius typi myſterium in peccatrice ſanctiſſima, beata videlicet Magdalena, quæ ad pedes Domini lacrymis illos rigans, & capellis abſtergens, profundis ſuccuſſa ſingultibus, & ex intimis longa trahens ſuſpiria, felleos humores euomuit, remiſſionem obtinuit, peccata depoſuit, & induit ſanctitatem. Olim dum primo in regno Franciæ legationis officio fungeremur, apud Vizeliacum monaſterium, VBI GLORIOSVM REQVIESCIT CORPVS ILLIVS, *cum veneratione debita exequentes, illud claræ memoriæ Ludouico Rege Francorum, Prælatorum, & aliorum fidelium multitudine numeroſa præſentibus, de plumbeo ſepulchro, in quo adhuc humiliter exiſtebat, in thecam argenteam cum celebri ſolemnitate tranſtulimus, vt proinde impleretur in ea ſacræ paginæ veritas, dum ipſa in abundantia gloriæ ſepulchrum inueniretur ingreſſa, ſicut in tempore ſuo tritici aceruus infertur, vt de loco ſuo non ſolum pullularent laudibus oſſa eius, ſed ampliori pollerent gloria, de humilitatis tumulo ad cumulum maioris venerationis erecta. Decebat enim, vt ſicut beatiſſimus eius ſpiritus æternam luminis claritatem ingreſſus ſupernæ gloriæ ſecreto colitur, ſic & eius corpus, licet adhuc terrenum glorioſo quaſi conſeruationis horreo ſeruaretur. Tunc zelus noſter, quem ad ipſam ſemper in multitudine deuotionis habuimus, velut ignis accenſus perſuaſit efficaciter, & effecit, vt de tam pretioſo theſauro nobis memoriale aliquod in ſpiritalis ædificationis auxilium, & aſſiduæ conſolationis remedium ſeruaremus, ſicque de ipſius glorioſo corpore coſtam vnam accepimus*

venerabiliter conſeruandam, quam humilitatis noſtræ deuotio nobis in minori officio exiſtentibus, decenti adeo decorari procurauit ornatu, quòd in illo ſic opus & materia mutuis excedere cenſerentur exceſſibus: Ipſum oculus cuiuſque miratur antiſtitis, & in eius contemplatione dextera obſtupeſcit. Cuius pulchritudini acceſſit vernantium, & coruſcantium gemmarum adiectio, in diuerſitate colorum virtutes eiuſdem beatiſſimæ Magdalenæ diuerſas typicè repræſentans: Ita tamen pretioſum memoriale prædictum idem ornatus includit, quod ab ipſius viſione, quæ imaginis Angelicæ miniſterio præſentium offertur aſpectibus, oculorum aciem, cùm ſit peruia, non excludit. Demum verò peregrinationis noſtræ exitum attentione ſedula contemplantes, deliberauimus tam pretioſi theſauri particulam apud participantes nobiſcum in ipſius deuota veneratione deponere, vt etiam nobis deficientibus debita veneratio non deeſſet. Conſiderantes itaque, quòd in Eccleſia & ciuitate Senonenſi Clerus, & populus eamdem beatiſſimam Magdalenam ſingulariter venerantur, celebritatem ipſius ſolemniter celebrant, & celebriter eius ſolemnia Feſta colunt, cariſſimum nobis memoriale præfatum, vobis per dilectum filium noſtrum Ægidium germanum noſtrum, in ſingularis deuotionis indicium deſtinamus. Accipite ergo illud alacritate debita, proſequimini reuerentia, quantum poſſibilitas patitur congrua, & honorificè in veſtra Eccleſia collocate, ipſius beatiſſimæ Magdalenæ nos commendaturi patrocinio, quoties eius agetis ſolemnia, vel memoriam facietis. Vt autem ad eandem Senonenſem Eccleſiam de cetero in eiuſdem Magdalenæ feſtiuitate eò pleniùs con-

fluant Chriſti fideles, quo ſe ob eius reuerentiam vberioris retributionis gratia remunerari perſpexerint: Nos de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui ad eandem Eccleſiam in die feſtiuitatis eiuſdem Magdalenæ cauſa deuotionis acceſſerint, ſingulis annis dies centum, eis verò qui infra octauas feſtiuitatis eiuſdem taliter ad Eccleſiam accedent eandem, quadraginta dies de iniunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Datum apud Vrbem veterem octauo Calendas Octobris, Pontificatus anno primo.

Hæc ſunt præcipua Vizeliacenſis Magdalenæ monumenta, quibus adiungimus inſignem & antiquo ſubſtructam artificio machinam, qua R. P. Gueſnæus recitādas à ſe Bonifacij VIII. Benedicti XI. & aliorum Pontificum bullas præmunit cap. 26. Diſquiſitionis ſuæ: *Accedit*, inquit, *altera non tantùm membrorum inter ſe, verùm etiam cum capite conſenſio, quam apud veteres ſemper habitam fuiſſe pro veritatis fideliſſima nota Cyprianus ad Cornelium Papam ſcribens, ex diuina traditione & Apoſtolica inſtitutione teſtatur. Mos enim fuit ab ipſius Eccleſiæ incunabulis diuinitus inſtitutus, vt non modò Concilia, ſed ſinguli etiam Epiſcopi, literas, in quibus eſſet fidei ac regiminis Eccleſiæ formula, quam profitebantur, darent ad Romanum Pontificem: cuius ſententiæ ſtarent, & conſiliis vterentur, atque etiam manu, ne conciderent. Audi Sophronium Patriarcham Hieroſolymitanum, qui ſic ad Honorium Papam ſcribit.* Et cetera eiuſmodi benè multa, quibus apprimè docet ſe eo prædi-

tum eſſe iudicio, cui par nullum vix poſsit inueniri. Sed qui noſtram de commentitio Magdalenæ in Prouinciam appulſu Diſſertationem legit, machinam à Gueſnæo poſt bellum adductam eſſe iudicabit.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ERRATA.

Pagina 7 *lin*. 7. *lege* 83. *pag*. 18. *lin*. 11. *lege* ſcribant, *pag*. 21. *lin*. 26. *pro* nono *lege* decimo, *pag*. 24. *lin*. 10. *lege* ſanari, *pag*. 33. *lin*. 9. *lege* refertam, *pag*. 43. *lin*. 22. *lege* Vrbanus III. *pag*. 74. *lin*. 8. *pro* iudicioſorum, *lege* acutiſſimorum.